
5

NICOLAI SANDERI SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS

Tres Orationes in ſcholis Publicis Louànij Habitæ, 14. Cal. Ianuarij, An. Domini. 1565.

1. De Tranſubſtantiatione.
2. De linguis officiorum Eccleſiaſticorum.
3. De pluribus miſsis in eodem templo celebrādis.



Ex bibliotheca Altempsiana



ANTVERPIAE.
Excudebat Ioannes Latius.
1566.

Regiæ Maieſtatis Priuilegio conceßum eſt Ioanni Gibbons Anglo vt librum inſcriptum, Nicolai Sãderi ſacræ Theologiæ profeſſoris Tres orationes in ſcholis publicis Louanij habitæ, &c. per Typographum aliquem iuratum imprimere, ac impunè diſtrahere liceat, datũ Bruxellis. 12. Febr. 1565. Stilo Brabantiæ.

Subſig.

Prats.

ILLVSTRISS.

CARDINALI STANISlao Hoſio Epiſcopo Varmienſi, Patrono ſuo ſingulari, *Nicolaus Sanderus* omnem fœlicitatem precatur.



PTANDVM in primis erat Illuſtriſsime Cardinalis Hoſi, non modo vt nihil à teipſo conſcriptum (quod timeri prorſus non poteſt) verum etiam vt nihil ab alio quopiam tibi dedicatum in lucem exiret, quod non tuo inſigni & percelebri nomine dignißimum penitus iudicaretur. Nam quis ferat tãtum verę pietatis ac doctrinæ ſplendorem,

quantus in te relucet, nescio cuius leuiculi cōmētarij non satis accurata editione minui apud illustres viros, aut vlla ex parte obscurari? Quæ ratio, si hoc solū quod scripto cōprehensum est, ac præterea nihil spectetur, cum sit æquissima: tamen ex personarum & rerum commutatione quin mutari etiam ipsa debeat, nihil admodum video. Quid enim si frater, si cognatus, si affinis tuus aliquid literis proderet? nōne maiore iniuria T. D. afficeret, si tacitus tātum patronum preteriret, quam si aliquid tua claritate minus dignum sub tui nominis fide ac tutela emitteret? Equidē is sum Reuerend. Cardinalis qui tot ac tanta benefi-

neficia de tua maxima liberalitate receperim, vt nullus nõ ſolum affinis,cognatus,frater, verumetiam filius vel amantiſsimo patri magis obſtrictus eſſe queat, quã ego ſum tibi.Parum eſt, quod Tridenti cum eſſem, ſuauiſsimè colloqui, afflictum conſolari, exulem ad menſam tuam admittere dignatus es: etiam non dubitaſti peregrinum in familiam cooptare, domo ac patria orbatum in Pruſsiam vſque tecum ducere, ibiq; non modo ſumptus neceſsarios, verum etiam vtiles præbere.Quid his rebus adijci poteſt? nihil quidẽ ſi de alijs viris agatur.At Hoſij pietatem quàm vehementer ſuſpicere par eſt · qui me quan-

quam ſe inuito abeuntem non mediocri tamen honore tum à pecunia, tum à rebus alijs exornauit, qui nunc quoque ad abſentem ſæpe ſcribit, vt reuertar, inuitat. Poſtremo negãtem adeſſe poſſe, non vt ingratũ deſeruit, ſed velut in officio permanẽtem honeſto munere iterum nuper affecit. Cum igitur tot rationibus addictus tibi ſim illuſtriſsime Cardinalis, facere non potui, vt quod primum à me edẽdum erat, ſub alterius quam tuo patrocinio ederetur. Sint hę (ſicut certè ſunt) exiles quædã & ieiunæ breuiſsimi temporis declamationes, ſint grauiſsimarum quæſtionum anguſti potius commentarij, quam perfe-
ctum

ctum doctrinę corpus, ſint non tam elaborata opera quam tēporariæ diſputationes, profecto cuicuimodi ſunt, eius ſunt, quē Hoſij nomen in illis inprimendis præterire, nefas exiſtat. Quibus ita conſtitutis, vehementer ab amplitudine tua præcor, vt non tam quid offeratur, quam quis offerat ob oculos proponēs, in cuius perſonā nihil eiuſmodi merentē tot beneficia cōtuliſti, eius minuta hæc opuſcula ſub tui patrocinij tutela in lucē prodijſſe æquo animo feras. Opto ill^{mā}. D. T. diu nobis, ſemper Chriſto viuere. vale. Datum Louanij Idibus Febr. An. 1566.

T. ill^{mæ}. D. Cliens obſeruantiſſimus

Nicolaus Sanderus.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

SCripſerã patrio ſermone de Cœna Dñi *libellũ,quem dũ typis traderem,venit in manus meas iam tũc edita Angli cuiuſdã Caluiniani calũnia, ſacroſanctã dominici corporis in Euchariſtia veritatem noſtrate lingua oppugnãs. aduerſus quã dũ reſpõſum paro,ex inſtituto maiorũ habebãtur* Louanij *diſputationes quædã arbitrariæ, quæ noui ſemper aliquid parere, plerũque autem res vtiliſsimas in mediũ afferre ſolent.In illis,vt certũ agendi tempus & locum vltimum,qui ſummæ authoritatis eſt,mihi ſumerẽ,vehementer à me viri boni ac graues flagitabãt,quibus etſi perſæpe negaſsẽ ne priori argumento deeſſe cogerer, tamẽ quotidianis propè interpellationibus tãdẽ eò ſum ad* du-

ductus, vt me facturũ promiserim, quæstiones ex more tres delegi, ac pro temporis illius breuitate, vt licuit, peroraui. Placuerũt viris humanissimis et argumentorũ genera, & explicãdi ratio, ac via. Egerũt porro mecũ, vt vel ipse in lucem prodire illa paterer, vel saltem ipsis describenda permitterem In describendo, periculũ erat ne multa parũ castigatè ab imperitis notarijs exciperẽtur. Itaq; edere illa coactus sum. quantũ sint vtilitatis & cõmodi allatura, ij viderint, qui posse ipsis hæc prodesse asseuerãt, ego nõ debui cõmittere, vt quicquã alijs negarem, quod sine meo dãno concedi posset. Vale studiose lector, & hæc si nõ placent, deũ roga, vt illa producã aliquãdo, quæ placeãt. Sin hæc ipsa non displicent, Deo laudem tribue, cuius est totum quod est bonum.

DE TRANSVBSTANTIATIONE.



VOD in omni re ardua fieri ſolet, (viri ornatiſsimi) vt aliæ rationes ad rem ſuſcipiendam alliciant, aliæ contra nos reuocent & retardent, id mihi hoc tempore accidiſſe, nemini mirum videri debet. Renocabat ab hac ingenij exercitatione, virium mearum perexigua facultas, innatus pudor, nouitas rei, hominum apud quos dicẽdum erat, grauitas: in primis autem negotiorum, quibus iam maximè premebar, multitudo. Sed cum paulo diligentius cogitaſſem, quantum omnes Angli huic celeberrimæ Academiæ deberemus, in qua iam annis ferè ſeptem, partim in quadam iucũdiſsima diſciplinarum omniũ communicatione viximus, partim etiam in diuerſa collegia

legia cooptati, magnum victus ac totius vitæ adiumentum singulari multorum liberalitate percepimus: cum perpendissem natura nos obligatos esse ad gratias, ea, qua poteramus, ratione, hoc est, si non rebus ipsis, at saltem verbis agendas: Cumq; ad hanc officij necessitatem, huius honorifici collegij, pro quo nunc ago, honestissima petitio ad hanc me disputationem inuitãtis opportunè accessisset, tot ac tantæ rationes fecerunt, vt oblitus mearum virium, quas valde mediocres confiteor, oblitus pudoris, qui non ad hoc institutus est, vt cuiquam impedimento esset vtilitatis alicuius peragendæ, oblitus deniq; negotiorum, quæ vtcunq; grauia essent, aut simul cum his, aut non multo postea confici possent, vt horum, inquam, omnium oblitus susciperem hoc tempore, atq; ex hoc loco, mihi quidem, quod iam ostendi, necessariam, vobis autem, vt spero, non ingratam dicendi pro-

prouinciam. Quo enim pacto cuiquam veſtrum iniucundum eſſe poteſt, vt totius gentis Anglorum nomine ſibi gratias agi, beneficiumq́; acceptum & nũc præ nobis ferri, & cum vires accreuerint, rebus ipſis compenſandum eſſe audiat, agnoſcat, intelligat? Si enim Louanij tam benignè apud reuerendos Abbates tractati, tã humaniter à collegiorum præfectis accepti, tam vtiliter à publicis lectoribus docti, tam piè à concionatoribus inſtituti iam diu ſumus, vt hæc vrbs, hij præfecti, hæ ſcholæ, hæc immortalis Dei tẽpla nobis patriæ noſtræ deſyderium maiorem in modum lenierint, idq; vltro præ nobis ferimus & profitemur: vtrum iſtius rei gratulatio in commune prolata, cuiquam aut moleſta, aut importuna videri debet? Sed iam gratiarum ſatis actum eſſe non nemo dicet, atq; vt ad rem veniam, prouocabit. Ad quam quæſo rem? Nunquid enim mihi hoc tempore tractare quod

libet,

libet, non licet? Nunquid arbitrariæ disputationes istæ non sunt? & tu me vocas quo ire adhuc nolo? Equidem cũ ab isto gratias agendi officio semel discessero, cum amplius ob oculos propositum non habuero, quòd apud viros humanissimos omni & artiũ, & disciplinarum scientia illustres, quòd apud catholicos ac nostrorum omnium amantissimos ago, cum semel ab ista cogitatione dimotus, & amicorum veterum nos præsidio spoliari cogito, & à parentum cognatorumq; suauissima consuetudine disiungi, quodq; multo grauissimũ est, cum & nos patria nostra, & patriam catholica religione orbari animaduerto, facilius quod taceam inuenio, quam quod dicam. Quid igitur? An tu spem in Christo repositam non habes? Aut plus tibi solatij ab Academia Louaniensi, quam à Christo venit? Vtrũ ergo Christus non est qui hæc tibi ac tuis Louanij præparauit? Optime. Illa igitur lege

recedam

recedam à vobis, ſi mihi ad Chriſtũ venire permittetur. De Chriſto autẽ quid potius mihi dicendum erit, quam illum
Rom. 10 eſſe vt finem totius legis, ita peregrinationis noſtræ oblectamentum, exilij ſolatium, viciſsitudinis illius quàm Anglia variam & multiplicem hijs annis triginta perpeſſa eſt, quietem vnicam & tranquillitatem. Itaq; cum nihil memoriæ meæ crebrius occurreret, quám ſtatus Angliæ multo maximè perturbatus, cumq; inde velut exemplo quodam admonitus ad eas quæ in tota hominũ vita mutationes, ac rerum omnium viciſsitudines fiunt, oculos conuertiſſem, ac horum omnium medicinam ab vno Chriſto & peti debere, & obtineri poſſe perpenderem, ad hoc me argumentum precipuè contuli, vt de illa Tranſubſtantiatione agerem, in qua & veteris vitæ noſtræ incertiſsima conditio, & nouæ per Chriſtum acquirendæ certiſsima ſpes diuinitus exprimebatur,

Quem-

Quemadmodũ enim omnes huius vitæ voluptates, nec voluptates tantum præterfluunt; ſed etiam rerum penè omnium generationes nouæ, ac quotidianæ corruptiones fiunt, quemadmodum *mors iam inde ab Adam in omnes homines regnauit*, atq; adeo *ipſi cœli & terra tranſibunt*: ſic horum omnium non adumbrata quædam figura, ſed expreſſa imago perſpicitur in hac tam ſubita & admirabili panis ac vini mutatione. Cõtra vero dum iſtæ creaturæ nõ illæ quidem in nihil (*neque enim tendendi in nihilum auctor vnquã eſt Deus*) ac neque in mediocre aliquid, ſed in ipſum corpus & ſanguinẽ Chriſti tranſeunt, nonne apertè clamant, *& cœlum nouum, & terram nouam* aliquando futuram, *omniaque in Chriſto reſtaurari*, & illum *ſaluatorem eſſe corporis ſui*, quod eſt fidelium eccleſia? De hac igitur panis & vini conuerſione in corpus & ſanguinem Chriſti, nũc mihi agendum, ac in primis illud tra-

Rom.5

Luce.21

Auguſt. in lib. 83. quæſt.

Apoca.21

Ephe.1. & 5.

ctandum eſt, an omnino vlla eiuſmodi mutatio credenda eſſe videatur. Illam enim tam longè à veritate abeſſe nonnulli putarũt, vt ipſam corporis præſentiam prorſus negare, quam vllam talem conuerſionem fateri mallent. quaſi vero dominus noſter poſt acceptum panem, cum gratias tam ob veteres vmbras tandem aliquando finitas, quàm ob ipſam veritatem nunc demum inſtituendam
Matt.26. Luce.22. egiſſet, apertè non dixerit, *accipite, comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*. Quid tandem Caluine pro nobis datum eſſe putas? Vtrum panem & vinum? Id ſi dicere non audes, cum hoc quod in cœna porrigitur, dicatur eſſe idem corpus quod in cruce datum eſt, cur hic figurã, ibi conſtituis veritatem? Cur diuidis quod vnum eſt? Indignum vtique Chriſto vt minus quã Moyſes, etiam corpori noſtro in figuram æterni
Heb.7. ſacerdotij *quo ſecundum ordinem Melchiſedech functus eſt*, putetur dediſſe. & tamẽ mi-

minus quiddam eſt panis piſtorum de
clibano, quam *panis angelorum* de cœlo. Pſal. 77.
Nam & illud manna non minoris rei Exo. 16.
ſignum fuit quàm iſte panis: & illius Sap. 16.
ſubſtantia multo fuit & ſuauior & præ-
clarior, ſi modo noſter panis nullã cœ-
leſtem ſubſtantiam per conſecrationem
aſſequatur. Iam quæ te furiæ adegerunt
Caluine, vt vmbram veritati, legem E-
uangelio, Iudæos Chriſtianis, Moyſen
Chriſto anteferres? qui ſanctificatione
repetita (vt in re tam admirabili fidem
nobis per iteratam alterius ſpeciei con-
ſecrationem omnino confirmaret) ca-
licem vini aqua mixti accipiens, & gra-
tias agẽs, *bibite*, inquit, *ex hoc omnes, hic ca* Matt. 26.
lix nouum teſtamentum eſt, in meo ſangui- Luce. 22.
*ne, qui pro vobis effundetur in remiſsionem
peccatorum.* Hic inquam calix eſt, qui ef-
fundetur in remiſsionem peccatorum.
Calix effundi pro nobis affirmatur: ita e-
nim omnino verba eſſe iungenda græci τὸ ποτή-
codices demonſtrãt, in quibus illud par- ριον ἐκχυ-νόμενον.

ticipiū ἐκχυνόμενον pro quo latini legūt, qui effundetur, ad nullum aliud nomen referri poteſt, præterquam ad calicem. Porrò conſtat inter omnes, calicem accipiendum eſſe pro eo quod eſt in calice, in quo ſi vinum contineri aſſerimus, reſtat vt vinum pro nobis effuſum dicatur in remiſsionem peccatorum. A qua cogitatione cum omnes Chriſtiani abhorreant, ſine controuerſia vt ſanguis non ſigno tenus, ſed reipſa pro nobis effuſus eſt, ita id quod in calice continetur, non figura tantum ſanguinis eſt, ſed ipſamet ſanguinis veritas & ſubſtantia. Porrò vt certiſsimis Euāgelij verbis docemur corpus Chriſti eſſe hoc totum quod in ſacramento Euchariſtiæ datur: ſic poſtea vel naturæ lumine intelligimus, quod totū corpus Chriſti ſit, hoc panem triticeum amplius non eſſe, propterea quòd toto genere differāt, nec vlla vnione cōnectūtur corpus Chriſti, & triticeus panis. Cum ergo id ſit corpus

Euthimi. in 22. Lucæ.

Chri-

Christi quod panis fuit, restat vt de pane factum sit corpus Christi, ex eoque panis non maneat in priore natura sua. Quod sane iã indè ab Apostolorũ temporibus creditum fuisse, tum catholica omnium ætatum traditio, tum antiquorum patrum commentarij abunde testantur. *Non enim* (ait Iustinus Martyr) *cibum qui Eucharistia dicitur vt communem panem & poculum sumimus.* Quisnam igitur cibus tibi videtur esse Iustine, quã sumimus? Vtrum panis idem natura qui ante fuit, sed vsu tantum & significatione auctus? Ita enim hodie Lutherani ac Zuingliani prædicant, sed longè alia est Iustini nostri sententia. Debebat sane alioqui cum dicti sui rationem posteà reddiderit, eã omnino reddidisse, quòd Eucharistiæ panis iam sit ad altioris officij dignitatem, ac non ad aliam naturam ascitus. At nũc ideo negat Iustinus panem & poculum esse commune, *quia sit incarnati Iesu Christi caro & sanguis,*

In Apolo. 2.

deinde quia *per preces ſermonis quem à Chriſto accepimus conſecratur:* & ita conſecratur, *vt noſtræ carnes & ſanguis ex eo cibo alantur*, idque non ad vitam animalem hanc & terrenam, ſed per illã *cõmutationem*, qua mortale hoc noſtrum corpus ad illud immortale conformatur, quo in ſacramẽto Euchariſtiæ paſcitur. Noſter igitur panis ita deſciuit eſſe cõmunis, vt ſit caro Ieſu Chriſti, & ita caro eius eſt, vt noſtræ carnes quæ nec fidẽ, nec ſpiritũ habẽt, alantur eo cibo ad vitam cœleſtem. Ex quibus efficitur, & carnem Chriſti tam verè præſentem eſſe, vt paſcat carnes noſtras, quæ nec abſentibus cibis, nec per fidem præſentibus paſci poſſunt, & panem tam verè deſinere eſſe communem, vt ſit per conſecrationem alia prorſus diſiuncta natura, hoc eſt Chriſti caro. *Dei verbo* (ait Nyſſenus) *ſanctificatum panem in dei verbi corpus credimus immutari.* Neq; negari poteſt quin Damaſcenus, Theophilactus,

In orat. Catechet. apud Euthim. in Panoplia. li. 2. c. 21. li. 4. c. 14 in matt. 26.

Euthimius idem prorſus de hoc myſterio ſcriptum reliquerint. Imo tota Græcorum eccleſia, iam inde à Chryſoſtomi ætate precatur publicè, *fac panem iſtum quidem, precioſum corpus Chriſti tui, & quod eſt in calice iſto, precioſum ſanguinem Chriſti tui, permutans ſancto ſpiritu tuo, Amen*. Ex latinis verò Ciprianus ait: *panis ille quem dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro*. In quibus verbis mutatio prædicatur, & ea tãta, vt in *natura* fiat, nec eo modo in *natura*, quo illa ſolet aliquãdo aduentitiam aliquam rei proprietatẽ ſignificare: ſed eo prorſus modo, quo natura diſtinguitur ab effigie. Nã vt effigies ad ſenſus noſtros pertinet, atq; ad omnem illum rei cuiuſq; vſum qui ſub ſenſus cadit, ita cũ talis credatur mutatio quæ non effigie, ſed natura fit, omnino à ſenſibus remouetur, & ad illam rei vim poteſtatemque reijcitur quæ tota intima cum ſit in

In Liturgia Chryſoſt.

De cœna Domi.

ipsa essentia rei meritò fieri prædicatur.
De ijs qui initiant. Myster. c. 9. Itàque beatus Ambrosius cũ de eodem sacramẽto cœnæ dominicæ loqueretur, *non est*, inquit, *quod natura formauit*. Et quid putamus formasse naturã in pane, nisi ipsam tritici substãtiam, vnde panis fiebat? Illa igitur substantia quæ formata est ab exordio, antequàm panis arte pistorũ efficeretur, illa ipsa mutata est, non altera nescio quæ natura, ab hominũ aut volũtate, aut vsu pendens. Quod adhuc etiam apertius testatur Eusebius
Homil. 5. in pascha. Emissenus cum ait *Christus visibiles creaturas in substantiam corporis sui verbo suo, secreta potestate conuertit: Dicens, accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Et Isy-
Li. 6. in Leuit. c. 22. chius. *Corpus hoc & sanguis est secundum veritatem. Sãctificationem enim mystici sacrificij & à sensibilibus ad intelligibilia trãslationem siue cõmutationem, Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere.*
Conci. in Lateran. anno. 1215. Sed quid singulos enumero patres, cum in vno Lateranensi Concilio sexcenti

in

in vnum congregati, conſentiente voce definierint, *corpus & ſanguinem Chriſti in ſacramento altaris ſub ſpecie panis & vini veraciter cõtineri, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina*: in quã eandem ſententiam poſtea Concilium [a] Conſtantienſe, [b] Florentinum, & [c] Tridẽtinum, aliaque in diuerſis prouincijs celebrata, ſubſcripſerunt. A quo tanto omnium ætatum eccleſiæ conſenſu, nec Gelaſius, nec Theodoretus diuidendi ſunt, cũ eorum verba quibus *panem aiunt in ſubſtantia naturaque ſua manere*, illá poſsint capere interpretationem, vt panis in *ſubſtantia* ſua maneat, quia panis accidẽtia poſt conſecrationem, non iam in alio inhærẽt (quod ipſorum proprium erat) ſed ad modum ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtunt. Deinde cũ ad hoc nata ſunt panis & vinũ, vt alant nos, ac nutrimẽtum corporibus noſtris præbeãt, in *natura* ſua manẽt, hoc eſt (vt ipſe Gelaſius interpretatur) in proprie-

a. in. 1. 2. 3. artic. wiclefi condemnatis
b. in formula Armenijs data.
c. ſeſſ. 13. c. 2.
Gelaſius.
Theodoretus.

tate naturæ ſuæ, quia non minus poſt conſecrationem nutriunt, quàm ſi omnino mutata non eſſent. Nam ſi aliud quippiam hi patres ſenſiſſent, nec Gelaſius dixiſſet *panem, & vinum tranſire in diuinam ſubſtantiam ſpiritu ſancto cooperante*: nec Theodoretus, *deum voluiſſe eos qui diuina myſteria participant, per nominum mutationem, credere ei quæ ex gratia facta eſt tranſmutationi*. Ac ſanè ſi poſſet accidere vt aliter quàm reliqui patres omnes, iſti duo ſoli ſentirent, nulla ratio pateretur, vt nos propterea duos potius quàm omnes imitandos nobis proponeremus. Neque verò paucorum, ſed omnium, aut penè omnium gẽtium fides eſt, per quam cognoſcitur quid catholica per orbem credat eccleſia. Certè quidem plenaria concilia planum faciunt, tranſubſtantiationis doctrinã, & ſemper à patribus creditam, & nunc ab omni eccleſia tenendam eſſe. Cuius rei vt aliquam præterea rationem (quãtum

In Dialog.

Aug. ep. 59.

in me

in me eſt ex ſacris literis afferam, tribus potiſsimum partibus reliqua hæc mea conſtabit oratio. Primũ vt oſtendam ex verbo dei huius tranſubſtantiationis veritatem: Deinde quam accuratè Euchariſtia veteres ſacrificiorum ritus nouo mutationis genere impleat: Poſtremò quã pulchrè ac decorè illa mutatio ſit à Chriſto ad exprimendam ſtatus euangelici rationem inſtituta. Ac tranſubſtantiationem quidem appello modum illum per quem Chriſti corpus & ſanguis verè nobis ac reipſa exhibentur, dum tota panis & vini ſubſtantia conuertitur in totam corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam, operante inuiſibiliter ſpiritu ſancto, ſimul ac dictum eſt à ſacerdote idipſum agente, *hoc eſt corpus meum*. Sed hoc mihi proba, clamat hæreticus. Nihil enim tale in verbo Dei ſcriptum reperio. Egregia oratio. Quid ſi omnino ſcriptum non eſt? An tu *ingenitum* patrem, *conſubſtantia-*

Quid ſit tranſubſtantiatio.

Auguſt. ep. 174.

Hilarius de Synodis. *lem* patri filium, procedentem à patre *filióq;* ſpiritum ſanctum, *deiparam* virginem, Apoſtolorum ac Martyrum *coronas & victorias*, aliaq́; huiuſmodi vera eſſe non credis, quia in ſacris literis ſcripta eſſe non vides? Deinde vtrum quicquid ſcriptum eſt, tu continuò aut legiſti, aut etiam cum legeres, intellexiſti? At panem, inquies, manere verbum Dei manifeſtè docet. Scriptũ eſt enim quòd Chriſtus accepit, benedixit, fregit, &
Matt.26. dedit, *accepit autem panem*, igitur & benedixit panem, & fregit panem, & dedit panem. Hoc Lutherani omnes, hoc Zuingliani, neſcio vtrum ſtultius, an impudentius quotidiè nobis occinunt: perinde quaſi *benedictio verborum cœleſtium* quæ inter acceptionem & traditionem interiecta eſt, nihil fuerit opera-
Gene.2. ta. *Tulit Deus vnam de coſtis Adæ & repleuit carnem pro ea*. Nunquid igitur quia deus accepit coſtã, ideo illa ſemper manet coſta? Nihil minus. *Dominus enim*

nim ædificauit costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam, non iam vtiq; costam, sed mulierem ex costa factam. Eodē modo Christus panem accepit, & benedixit dicens, *hoc est corpus meum*, illo verbo de pane corpus suum faciens: & postea fregit non iam vtique communem panem (qui verbo dei mutatus fuerat) sed figuram panis, quæ mysterij occultandi causa remansit. Nam quòd ante fractionem, verbum benedictionis dominus protulerit, inde planum fit, quia D. Paulus non dubitauit dicere, *panis quem frangimus communicatio corporis Christi est*. Non autē esset communicatio corporis Christi cum frangitur, nisi prius verba cælestia operata fuissent illā corporis Christi communicationem. Quicquid enim cœleste ac diuinum panis fractus habet, id (authore D. Ambrosio) verba Domini Saluatoris operata sunt. *Panis* igitur acceptus, est velut materia, vnde corpus Chri-

1. Cor. 10.

De Sacramen. li. 4. c. 5

Chriſti fieret, *benedictio* verborum cæleſtium, forma fuit conficiendi hoc admirabile ſacramẽtum. Secuta eſt *fractio* vt certò ſciretur non aliundè aut dari, aut accipi corpus Christi quàm ſub illo viſibili ſigno panis ac vini, quod palam frangebatur, & de Christi manibus in manus atque ora Apoſtolorum tradebatur. Sed iterum obſtrepit hæreticus et negat eam vim benedictionis eſſe, vt commutet naturam panis. *Deus*, inquit,
Gen.1. Ioan.6. *benedixit piſcibus dicens, creſcite et multiplicamini, benedixit etiam quinque panibus*, neque tamen aut illi deſierunt eſſe piſces, aut hij deſierunt eſſe panes, ſed vtrobique acceſsit quod prius non fuit, nihil autem eius quod fuerat, detractum eſt. Cur non igitur maneat in ſacramento altaris, etiam poſt benedictionem verborum cœleſtium, natura panis ac vini? Nunc dicis aliquid, quod et mea reſponſione, et his auditoribus dignum exiſtat. Audite igitur & ſumma cum

ala-

alacritate hijs quæ dicentur attendite. Benedictio.
Benedictionem à dicendo cognominatam esse quis ignorat? Dicere autē quũ in deo nihil sit aliud quàm facere (*quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt*) profecto eadem ratione cũ deus creaturis benedixisse legitur, beneficium in illas collocasse intelligetur. quod quia creaturæ sine aliqua sua mutatione recipere non possunt, quoties deus illis benedicendo benefacit, toties illas in melius mutari fatendum est. Hæc autem mutatio vtrum in ipsa rei natura fiat, an etiam in ijs quæ rei extrinsecus adueniunt, ex eo quod actum dictumue commemoratur, sciri potest. Benedicũtur pisces *vt crescant*, & panes vt *multiplicentur*. Omnis autem accesio & multiplicatio, rem quæ augetur & multiplicatur, in vetere natura cum noua hac virtute potius manere, quam ab illa mutari declarat. Omnis igitur diuina benedictio mutationem, creaturæ signi-

Psal.148 · Gen.1. · Ioan. 6.

ſignificat,ſed non ſemper ſubſtãtiæ mutationem,niſi & hoc ex eo quod agitur, probari queat. Chriſtus enim ſi tantum benedixiſſe panem diceretur, vtique in melius mutatum fuiſſe panem ex eo ipſo colligere liceret, non tamen in tota ſubſtantia fuiſſe mutatum. Nunc verò cum non tantum in toto genere benedixerit,ſed ſuæ illius benedictionis certã quãdam virtutẽ ſimul verbo declarans, ſimul opere perficiens, poſt acceptum
Matt.26. panem palam pronunciarit, *hoc eſt corpus meum*,tanta per hanc benedictionem facta mutatio cognoſcitur, quantum diſcriminis eſt inter panem triticeum qui prius eſt acceptus, & corpus Chriſti, quod poſtea per benedictionem conficiebatur. Hoc enim illud eſt quod Gregorius Niſſenus ait, *Chriſtum virtute benedictionis rerum quæ videntur naturã mutare*. Quodque D. Ambroſius ſcribit, *maiorem vim eſſe benedictionis quàm naturæ,quia benedictione etiam natura ipſa muta-*

In orat. Catechet.
De ijs qui init. c.9.

mutatur.Non enim omnis panis (inquit Augustinus) *sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi.* & Eusebius Emissenus, *quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequã inuocatione summi nominis cõsecrantur, substantia illic est panis & vini, post verba autem, corpus & sanguis est Christi.* Quid multis? Tantum valuit Christi benedictio quam in cœna adhibuit, vt inde B. Cyrillus totam Eucharistiam *benedictionis* nomine frequentissimè designarit, vt mirum non sit si benedictio quã Christus adhibuit in cœna, dicens, *hoc est corpus meum*, effecerit vt panis propositus non minus beneficij dum in melius mutaretur acciperet, quàm ipsa verba quæ operandi animo proferebantur, exprimebant. Illa verò affirmant hoc quod in manus accipitur esse corpus Chrsti, quod etiam potest aliundè ostendi. Quemadmodum enim valdè cognata sunt inter se *vocare & dicere*, ita

Ex sermo de verbis Euange. apud Bedam.
1. Cor. 10.
Homi. 5.
Li. 4. ca. 15. 17. & li. 10. ca. 13.
Vocatio.

ita ferè eandem virtutem habent *bene-*
Ro.4. *dictio dei & vocatio.* Nam vt dicēdo fecit,
quæcunque voluit, ſic etiam *vocat ea*
Oſee.2. *quæ non ſunt tanquā ea quæ ſunt. Dicam,*
inquit, non populo meo, populus meus es tu,
Rom.9. *& ipſe dicet deus meus es tu. Vocabo non*
plebem meam, plebem meam, & nō dilectam,
dilectam, & nō miſericordiam conſecutam,
miſericordiam conſecutam: & erit in loco
vbi dictum eſt eis, non plebs mea vos, ibi vo-
cabuntur filij dei. Quicquid igitur deus
Gene.2. creaturam vllam vocauerit, *hoc eſt nomen*
Rom.11. *eius. Sine pœnitentia enim ſunt dona dei &*
vocatio. Itaque vt ſciamus, quid deus do-
nauerit per vocationem, animaduertere
oportet, quo nomine creaturam vocet.
Si populum infidelem vocat populum
ſuum, per illam vocationem de infideli
populo, fidelem populū facit: non ſub-
ſtantiam populi mutans, ſed volunta-
tem conuertens. Attendite enim verba
Oſee.2. dei, populo non ſuo dicit, *populus meus es*
tu. Populus eſt, & cum alienus a deo eſt
&

& populus eſt,cum ad deum conuerſus eſt:Vt merito hæc vocatio dei,non mutauerit naturam populi,ſed tantum de alieno & peregrino, ſuum ac domeſticum fecerit.Contra vero ſi per nomen ſubſtantiæ alterius rem quampiam deus vocauerit, ſi dicit lapidi, *Panis es tu*, ſi aquæ dicat,*vinum es tu*, ſine omni controuerſia talis vocatio dei, non modo qualitatem ſed & naturam eius rei mutat,cui nomen alterius naturæ impoſuerit. Cum igitur in cœna panem vocauerit corpus ſuum, pœnitere illum de vocatione ſua non poteſt,ſed per ipſam illam vocationem,de pane corpus ſuum facit .Eodem ſpectant illa Irenæi verba, *qui eſt à terra panis,percipiens vocationem dei,iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia,duabus rebus conſtans terrena & cæleſti.* Terrena propter ſolam ſpeciem panis manentem:cæleſti, propter veritatẽ corporis Chriſti cõſecratione effectam quæ ſub ſpecie panis latet.Nam ſi panis

Math. 4.
Ioan.2.
Cõt.her. lib.4. c.34.

ſubſtantia poſt conſecrationẽ remaneret,fruſtra diceret Irenæus, panis percipiens *vocationem dei* iã non communis panis eſt. Etenim cũ *vocatio dei* fecerit vt ne amplius ſit cõmunis panis: & ille vocarit eo nomine, nõ quòd ſacram tãtum qualitatem, ſed quòd aliã ſacratiſsimam ſubſtantiã ſignificet:cũ non dixerit, *hic panis eſt figura corporis mei*, ſed poſt acceptũ panẽ dixerit *hoc eſt corpus meum*, nomen ſubſtantiæ alterius veteri panis creaturæ attribuens:talis dei vocatio aut nihil operata eſt dicẽdo, vocandoq́;,aut id ipſum quod dixit & vocauit:ex eoq́; de pane communi fecit non modo ſacrum panẽ, ſed illũ *verum panem dei qui de cœlo deſcendit*. non tamen ita vt nihil terrenũ ſuperſit, ſed vt manente ſpecie panis,ipſa eius natura ſit mutata. Quod cum ſit,nec panis percipiens illã *vocationem dei* qua corpus Chriſti dicitur, eſt amplius communis panis, ſed id ipſum corpus quod nominatur:& Euchariſtia

Damaſcen.li. 4. c.14.

Iohan.6.

dua-

duabus rebus constat, specie panis absq; eiusdē naturali veritate, contraq; veritate corporis, absque illius naturali specie. Tertullianus eodē modo Christū fatetur *& appellaße panem corpus suum, & panem fecisse corpus suum, dicendo, hoc est corpus meum.* Quod autē adiūgit, *id est figura corporis mei*, nihil de veritate corporis Christi detrahit, propterea quòd ea tota oratio refertur, non ad nouū sacramentū Eucharistiæ, tanquā illa vocetur figura, sed ad panē, ea ratione qua ille oblatus, & comestus in sacrificijs naturæ, & legis, iā tū figurabat conficiendū (tempore Euāgelij) Christi corpus ex materia panis, ac sub illius specie manducandum. De illa enim figura quæ fuit olim sub lege, nō de illa quæ nunc instituebatur, Tertullianus loquitur, quā etiā *veterem* figurā appellat. Sin ipsum hòc quod nunc instituitur, figura corporis Christi vocetur, nō tamē illa figura vel ipse panis esse, vèl in triticeo pane cōstitui potest,

Contra Marcio. lib. 4.

Gen. 14. Leuit. 2.

Lib.4. cót. Marci. test,cum iam prius dictum sit, *Christum fecisse panem corpus suum*. Porro vt aër qui fit ignis,non amplius manet aër,ita nec is panis qui fit corpus Christi,triticeus panis amplius aut esse potest, aut dici debet. Itaque si figura in illo quod non est fundari aut constitui non potest,prorsus figura corporis Cristi (si de nostra Eucharistia dici ponatur)non in pane qui factus est aliud,sed in corpore Christi quod iam nouo modo sub specie panis conficiebatur, collocãda est. Itaque omni modo & corpus Christi verè adest, cum id Christus de pane fecerit: & prior materia panis non manet quia *panem Christus fecit corpus suum*: Id autẽ ex quo noua substantia fabricatur, quis vnquam dixerit pristinam naturam conseruare? Talis igitur benedictio, & talis vocatio qua nouum nomen veteri creaturæ datur, dũ diuinitus aliquid fit, conuersionem substãtiæ prioris & facit, & probat, idq; multis sacrarũ literarum exem-

exemplis demonſtratur. Quoties enim res quæpiam prius nobis nota & familiaris, poſtea vel ſenſibus noſtris, vel intelligentiæ alia natura eſſe manifeſtò apparet, ſpiritus ſanctus in ſcripturis diuinis docet, modum quo ab vna re in aliam tranſitur, couerſionem eſſe nominandam. Vxor Lot viro ſuo probè cognita, ſubito dum poſt ſe reſpiceret apparere in ſua forma deſijt, & ibidem viſa eſt ſtatua ſalis. Quid hac in re dicit Gen. 19.
ſcriptura? *Reſpiciens vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Dixit dominus ad Moyſen: Quid eſt quod tenes in manu Exo. 4.
tua? Reſpondit, virga: dixitque Domi- & 7.
nus: *proijce eam in terram.* Proiecit, & viſus illi eſt coluber, ita vt fugeret Moyſes. Quid ergo dicit ſermo diuinus in hoc genere? *Et verſa eſt virga in colubrum,* & extendente manum Moyſe, caudamque eius apprehendente, *verſa eſt in virgam.* Itidem percuſſo flumine *erat* Exod. 7.
cruor ſtatim & ſanguis in tota terra Ae-

gypti, de hac historia quomódo loquitur verbum Dei? *Aqua*, inquit, *fluminis versa est in sanguinem, & fuit sanguis in tota terra Aegypti*. Ecce, quod fuerat antè aqua, factum est sanguis: modusque faciendi appellatur in sacris literis conuersio. Ministri nuptiarum in Cana Galileæ impleuerunt hydrias aqua vsque ad summum: & dicente Iesu (qui dicendo facit quæ vult) tulerunt Architriclino, qui cum gustasset, sponso dixit, seruasti bonum vinum vsque ad huc. Aqua igitur quam imposuerunt ministri, nunc postquàm Christus dixit, appellatur vinum: Quid in ista causa dicit Euangelium? *Gustauit Architriclinus aquam vinum factam*. Nihil autem est aliud aquam vinum fieri quàm aquam in vinum conuerti. Vnde Cyrillus ait: *Aquam olim Christus in vinum conuertit in Cana Galileæ, quod cum quandam habeat cum san-*

Iohan. 6.

In Catechet. mystago. 4.

sanguine propinquitatem, facilè in illum transmutatur: & eum parum dignum existimamus, cui credamus quòd vinum in sanguinem transmutet? Hæc Cyrillus Hierosolymitanus. In his igitur omnibus cum vna res alteri subitò succedit, prior in posteriorem conuersa perhibetur. Panem Christus accepit palam, de illo incunctanter dixit, *hoc est corpus meum*. Quod verbum apud fideles, qui Christo per omnia credunt, plus habet momenti, quam si oculis corporeis viderent: in locum panis ac vini, substitutum esse corpus Christi & sanguinem. Cum enim hoc sacramentum ministretur non Pharaoni, aut Aegyptijs, non Iudæis aut Paganis, sed solis in Christum credentibus, atque etiam (vt Iustinus martyr testatur) baptizatis, & sanctè viuentibus: meritò illis idem est post panem acceptum audire *hoc est corpus* Matth. 26. In Apolog. 2.

meum, ac videre in locum panis, corpus Christi substitutum. Cæterum si vel infideles corpus Christi subitò viderent adesse, vbi panis ante fuerat, certè secundum naturæ lumen tenerentur credere panem esse mutatum in corpus Christi: maximè vbi nulla esset de incantatione
Exod. 3.4.7. suspicio, nisi fortè Pharao non tenebatur miraculis per Moysen editis fidem adhibère, atque ideo iustè punitus non sit; quod supra omnes magorum vires inaudita quædam fieri cernens, tamen diuinæ voluntati parere recusauerit. Licet ergo post consecrationem videatur panis & vinum, tamen propter authoritatem dicentis, non minus indubitatè creditur adesse corpus & sanguis Christi, quàm si oculis corporeis
In Ioan. Hom.45 corpus eius cerneretur. Nam quod B. Chrysostomus in Capharnaitas dixit, Christum propterea prius fecisse miraculum de quinque panibus *vt per illud non essent amplius increduli ijs quæ postmodum*

modum diceret, hoc idem poteſt ad noſtrum propoſitum accommodari: præſertim cum omnia miracula Chriſtus in eum precipuè finem operatus fuerit, vt tandem ſoli ipſius verbo abſque viſibili quapiam operatione crederetur. Quo etiam in genere Apoſtolus dixit, *linguas in ſignum eſſe infidelibus, non fidelibus*: Ex eoque ſequitur, vt panis qui prius aderat, in corpus quod nunc adeſſe pronunciatur, per omnipotentiam verbi commutatus intelligi debeat, quãuis nihil tale videatur. Cur igitur in verbis Chriſti nulla mutationis facta eſt mentio? Quia Chriſtus finem operis, non autem operandi viam in cœna demõſtrare voluit. Ad neceſsitatẽ quippe ſacramẽti ſpectabat, vt corpus Chriſti, quod operatorio ipſius ſermone con ficiendũ erat, apertis verbis pronunciaretur. At modus conficiendi operandiq́; vt exprimeretur, id nõ tã ad inſtitutionem myſterij, quam ad docendi rationẽ

1.cor. 14.

Cur mutationis mentio non eſt facta.

pertinebat. Quapropter vt facto ipso panis mutetur in corpus Christi, hoc proprium cœnæ dominicæ opus est, vt autem verbo mutatus dicatur, alterius est temporis atq; instituti. Illud enim valdè notandum est, aliud esse rem quæ fit, aliud modum quo fit. Res potest describi & significari, absq; eo quòd modus rei exprimatur. Percussit Moyses
Exod.7 fluuium *& fuit sanguis*. Ecce rem. *Versa est aqua in sanguinem*. Ecce modum rei. Poterat autem fieri vt aquæ fluuij, sanguis successisse commemoraretur, absq; eo quod vlla conuersionis mentio facta esset, quod ipsum in cœna fieri videmus. Non enim dixit Christus, panem verto in corpus meum, aut vinũ in sanguinem, sed de pane reipsa faciens corpus suum, dixit, *hoc est corpus meum*, rem & verbo faciens & simul factam ostendens, at modum faciendi Apostolos per spiritum sanctum docens, eumq; nobis ab Apostolis tradendum relinquens.

Quod idem ferè in typo legis, ad nostram eruditionem contigisse animaduerti potest: Ait enim Dominus ad Moysen, *Tolle virgam in manu tua, percutiq; petram, & exibit ex ea aqua vt bibat populus*. Fecitq; Moyses ita. Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Sed quo tandē modo factum est vt petra percussa fluerent aquæ? Ait alius Propheta: *Eduxit dominus aquas de petra, & eduxit tanquàm flumina aquas*. Constat igitur quid sit factum, sed *modum* faciendi quæro. Vtrum enim de nihilo creatæ sunt aquæ illæ; an verò aperta petrá è latere montis in apertum eductæ sunt, an alius quispiam fuit modus eas aquas producendi? Credimus omnes fluxisse aquas, & ad virgæ tactum fluxisse credimus. Eodemque modo audimus Christum dicentem Apostolis, *hoc facite in meam commemorationem*. Videmus Apostolorum successores virgam sumere, id est potestatem sacerdotalem, qua

Exod.17
Psalm.77
Luc.22

qua & panem, & vinum percutiunt: statimque simul ac sonus verborũ domini elementa percutit, fit nobis corpus & sanguis, pluit manna de cœlo, fluit aqua de petra, sed nondum intelligo *modum* quo fiat. Audiamus igitur Dauidẽ prophetam magnum, etiam modum rei nobis aperientem, cuius tamen explicatio à Moyse prætermissa est. Deus, inquit,

Psal. 113. *conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*. Conuertit petram. *Conuersio* igitur vnius creaturæ in aliam fuit modus educendi aquas de petra.

In vita Moysis. Ex quo Gregorius Nyssenus hanc rem admiratus dixit: *Miraculi non obliuiscar illius quo dura & solida lapidis natura, in aquarum cõuersa molliciem, potus sitientibus facta est*. Habemus igitur & rem factam, id est aquas de petra eductas, & faciendi modum, eo quòd petræ durissimæ substantia in aquarum fluenta conuertebatur. Hoc nunc ad propositum nostrum accommodate.

Chri-

Christus petra est:non illa dura & saxea, sed ista mollis & aquea. Potest enim petra intelligi vel dum adhuc lapis est, & illa non dicitur Christus: potest etiã petra intelligi aqua illa in cuius naturam petra conuersa est, hæc autem petra Christus dicitur. Ait enim Apostolus, *omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10
Illa, inquam, spiritalis, non illa naturalis: Illa quæ facta est potus, non illa quæ fuit lapis. Illa quæ sequebatur populũ, non illa quæ mansit in monte Horeb. Exod. 17
Ita & dominus Iesus panis est, non ille qui coquitur à pistoribus, non ille qui à Diaconis affertur ad altare, non ille qui primum sumitur in sacerdotis manus, sed postquam sacerdos verbo domini (quod virga ipsius est) percusit panem communem, educitur corpus Christi, dum substantia panis in substantiam corporis commutatur. Porro Christus

panis

panis noſter eſt, non ille vnde factum eſt corpus Chriſti, ſed iſte, in quem
Ioan.6 conuerſus eſt triticeus panis. *Hic enim eſt panis de cœlo, panis verus, panis dei, panis* hic ſpiritalis eſt, non naturalis, factus eſt cibus mentis, non ventris, nec tantum manet in mõte dei ad dexteram patris, ſed ſequitur nos in hac ſolitudine, viaticum nobis factus, donec perueniamus ad terram fluentem lacte & melle, vbi iam non ſub inuolucro panis triticei

Cyprianus de cœna domini.

panem vitæ comedemus, ſed ſine Sacramento facie ad faciem videbimus eum ſicuti eſt, in propria, non ſolum figura, ſed etiam ſubſtantia. Neminem ſpero iam dubitare, quoties poſt vnã rem naturæ lumine prius nobis cognitam, alia quæ ſpecie differt, ſubitò præter ſolitum ordinem aut palã ſuccedit, aut â Chriſto perſpicuè affirmatur, quin illa prior in hanc poſteriorem conuerſa & commutata dici debeat. Quod genus conuerſionis in hoc Euchariſtiæ negotio, ſigni-

ſignificante vocabulo maiores noſtri appellauerunt tranſubſtantiationem, quam qui negant, (omnes autem Lutherani & Zuingliani aut mutare opinionem, aut eam negare coguntur) ab illis quæro, quodnam Euangelium nobis proferunt, vbi panis & vinum aut à Chriſto aliquando promiſſum, aut in cœna datum, aut ab Apoſtolis mãducatum, ac nobis traditum recenſeatur. Si enim vt aqua in veteri ſubſtantia poſt conſecrationem baptiſmi manet, ſic panis & vinum in priore natura poſt benedictionem verborum cœleſtium conſiſtunt (quam ſimilitudinem iſti vrgere vehemẽter ſolent) debuit & promiſsio non minus de pane & vino fieri, quàm de aqua baptiſmi facta eſt: & comminationem eandem non recipienti panem & vinum oportuit apponi, quæ non loto aqua baptiſmatis, appoſita eſſe cognoſcitur. Ac vt dictum eſt, *niſi quis* rena-

Collatio baptiſmi cum Euchariſtia.

Ioan.3 *renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto nõ intrabit regnum cælorum*, ita dici oportuit, nisi comederit panem, & biberit vinum in commemorationem meam, nõ
2. habebit vitam in seipso. Vt dictum est,
Marc.16 *qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*, sic dici debuit, qui crediderit & panem comederit, ac vinum biberit, saluus
3. erit. Vt in ipsa baptismi collatione dicitur, *ego te baptizo*, quod vtiq; significat ego te lauo (non est autem lotio naturalis quæ aqua naturali non fit) sic debuit in cœna domini dici, ego te pane & vi-
4. no pasco in vitam æternam. Vt in baptismi collatione aqua nec nomen accipit nouum, nec tanta cautione custoditur, vt guttam aliquam illius in terram cadere nefarium putetur, ita oportuit nec panis viniq; nomina mutari, nec sollicitè adeo caueri, ne mica fortè in terram caderet. Sin hæc omnia longè aliter se habent, si & promissio, & comminatio non de pane, aut vino, sed de

corpore & ſanguine Chriſti ſolo facta eſt: ſi dictum eſt, *operamini, non cibum qui* Ioan.6.
perit (panis autem & vinum comeſta pereunt) ſed *operamini cibum, qui permanet in vitam æternam*: nec ſolum eum cibum qui *eſt opus dei vt credamus in eum quem ille miſit*, quem cibum tota trinitas & ante aduentum Chriſti fidelibus dederat, & iam tunc dabat quando Chriſtus adhuc turbis loquebatur, (dicebat enim, *pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, dat, inquam, hoc ipſo momento) ſed ſi præterea dictum eſt, operamini cibum permanentem in vitam æternã, *quem filius hominis (poſthac) dabit*, nec Theophilactus ibidem in c. 6. Ioan.
tantum pro vobis in cruce, ſed *vobis* ipſis dabit (in ſacramento:) ſi explanandi gratia adiectum eſt, *& panis* (hoc eſt cibus) *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: ſi comminatum eſt, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, id eſt, *carnem vitæ in corpore veſtro* (vt

Cyrillus ait,) ſi promiſsio facta eſt, *qui*
In Ioan. li.10.ca. 13. *manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: ſi confirmationis cauſa adiectum eſt *ne Chriſtũ parabolicè locutum putaremus* (vt D.
In Ioan. Hom. 47 Chryſoſtomus annotauit) *caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*: ſi effectus comeſtionis huius patefactus eſt, *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in illo*: ſi ratio præſentiæ veriſsima per beatum Hilarium ex eodem Euan-
Lib. 8. de Trinit. gelio declarata eſt, dum verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumentes, in nobis carnalibus manentem per carnẽ *Chriſtum habemus, eaq; conditione per eum*
Ioan. 14 *viuimus, qua ille vnum cum patre naturaliter viuit propter patrem in ſe naturaliter manentem*: ſi panis hic qui Chriſtus eſt, non minus verè manducandus ſignificatur, quàm Iudæorum patres *Manna in deſerto manducarunt*, hoc eſt, non ſolum corde, ſed etiam ore: ſi qui *hunc pa-*

nem

nem manducat, viuet in æternum ac propterea dici non poſsit, panem triticeum æternæ ſalutis cauſa ſimul manducandum eſſe: Si in hijs omnibus nihil prorſus de pane & vino commemoratum eſt: ſi cum ad ipſam cœnam veniretur, panis quidem & vinum ſumebantur, ſed neq; à Chriſto data, neq; ab Apoſtolis accepta leguntur, ſed totum hoc quod tradidit dominus, eſſe corpus & ſanguinem ſuum clamat: quæ hæc eſt impudentia vel dominum in promittendo ſui oblitum, vel in præſtando minus veracem profiteri? Nonne cũ promiſsio præceſsit, ac præſtatio poſtea ſubſequitur, ſic vnam cum altera conferre, & comparare debemus, vt vtramque alteri lucem afferre ſtatuamus? In panibus miraculum factum eſt: & in cœna mirabile opus de pane dominus fecit. Ibi viſibile propter incredulos: hîc inuiſibile propter fideles. Ibi à panibus ad ſermonem de carne & ſangui-

nem ventum eſt: hîc poſt acceptum panem, operatorio ſermone pronuntiatur, hoc eſt corpus meum. Capharnai
Iohan. 6. Matt. 26. dictum eſt, *dabo*: & nunc dicitur, *accipite*. Ibi, *caro mea eſt*: hîc autem, *hoc eſt corpus meum*. Ibi, *quam dabo pro mundi vita*:
Iohan. 6. Luce. 22. hîc, *quod pro vobis datur*. Ibi, *niſi manducaueritis & biberitis*: hîc, *manducate & bibite*. Ibi, duodecim ſoli cum Chriſto remanſerunt: hîc duodecim ſoli cũ Chriſto diſcumbunt. Ibi vnus ex duodecim
Iohan. 6. Iohã. 13. diabolus appellatur: hîc Satanas intrauit in vnum ex duodecim. Et nunc tu vis aliud exhiberi, quàm promittebatur? Vis panem & vinum manducari quæ neq; ibi promiſſa, neq; hîc data pro nobis dici poſſunt? Verbum autẽ illud *Hic eſt*, *aut* (*hoc eſt*) quando promiſsionem præcedentem conſequitur, verbum eſt *repræſentans & exhibens* id ipſum quod pro-
Tertulia. Li. 4. côt. Mar. miſſum erat. Qui Petrum in iudicio ſiſti promittit, tunc demũ à vinculo quo tenebatur, liber, & ſolutus eſt, cum præ-

ſentem

ſentem in iudicio Petrum exhibens, verè dixerit, hic eſt Petrus. Hoc idem à deo factum videmus in filio ſuo vnigenito, quem cum Patriarchis & Prophetis ſæpiſsimè promiſiſſet, tandẽ exhibens eũ, ait: *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite.* quaſi dixiſſet, hic eſt ille quem iam inde ab Adam promiſi venturum. Hic ille eſt. Ego iam fidem liberaui, veſtrum porro eſt ipſum audire. Nonne impudentiſsimus nunc videri deberet, ſi quis alium hominem præter filium dei per vocem patris oſtendi affirmaret, cum ille dixerit filium hunc ſuum eſſe, ac nullam præterea nominauerit perſonam? Eodem planè modo cũ Chriſtus plurimis verbis carnem ſuam in cibum, ac ſanguinem in potũ promiſiſſet, tandem liberans fidem ait: *accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus.* Panis vero & vinũ vt neq; ſunt promiſſa, neque dum in ſua natura manent, pars ali-

Matth. 3. & 17.

Iohan. 6.

Matt. 26.

qua veri corporis & sanguinis Christi sunt, sic neq; post eiusmodi promissionem exhibita esse existimare debemus. Illa enim ad hoc erant necessaria, vt de his fieret corpus & sanguis, nō aūt vt cū his aut in his fieret. Quēadmodū enim inter promissionē de aduētu Christi factā, & exhibitionē ipsius, id interiectum est, vt de Maria templū sibi ac domum
Prouer. 9 sapiētia ædificaret, neq; tamen cū Christus ad Iordanē exhiberetur, simul cum virgine Maria exhibitus est, ita omnino inter promissionē carnis comedēdæ, ac præstationē, interuenerūt panis & vinū, nō vt simul cū carne exhiberentur, sed vt de illis caro fieret. Ait enim dominus,
Luc. 22 *hoc facite in meam cōmemorationem.* Facere autē significat nō modo agere, aut cōtēplari, sed etiā (vt Basilius magnus do-
1. Oratio: in Hexam. cet) opus aliquod, postquā operari quis desierit, post se relinquere. Postquā aūt
Gen. 2 deus perfectis cœlo & terra quieuit ab omni opere quod patrarat, nō ferè totū
aliquid

aliquid prorsus de nihilo creans, sed oĩa quæ fecerat valdè bona, prudentissimè gubernãs, & perficiẽs: iã inde ab illo tẽpore siue naturalis, siue miraculosa dei operatio in faciẽdo interuenerit, nũquã id vnde fit quippiã, in priore natura manet. Cũ aũt Christus post acceptũ panẽ & vinũ dicẽs, *hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*, subiecerit, *hoc facite in meã cõmemorationem*, quid aliud facere iubet, quã corpus & sanguinẽ suũ? adeo vt Diony. Areopagita propter hanc dei iussionẽ, dicat sacerdotẽ *diuinissima cõsecrare*: Ambrosi. vero, *sanguinem effici qui plebem redemit*. Hieron. *presbyteros Christi corpus sacro ore cõficere*. Chrysost. *eandem oblationem quã dedit ipse discipulis, sacerdotes modo quoq; conficere*: deniq; Damascenus de isto ipso præcepto (hoc facite) agens, corpus (inquit) & sanguis christi, *omnipotẽti eius præcepto, donec veniat efficitur*. Quod si clarũ est Christũ iussisse, vt corpus & sanguis suus fieret,

Luc. 22

De Eccles. hie. cap. 3 ἱερουργεῖν.

De Sacra. lib. 4. c. 5

In ep. ad Heliod.

In 2. ad Timoth. cap. 2

Lib. 4. cap. 14

non vtiq; iussit illa de nihilo fieri. Cur alioqui illa facturus panẽ & vinum, velut operationis materiã sumpsit? Cur ait Tertullianus, *fecit panem corpus suum?* Cur ait Ambrosius, *de pane fit caro Christi?* Cur Chrysostomus, *hic panis propter aduenientem ei spiritum, panis cœlestis efficitur?* Cur deniq; Hieronymus affirmat, *vinum consecrari in sanguinem?* Si ergo ex pane & vino, corpus & sanguis fiat, iam illa manere panis & vinũ minimè possunt. Isto enim pacto corpus & sanguis Christi, de illis non fierent omnino, si id vnde fierent, non mutaretur: fieri autem iubẽtur, atq; vt fiãt, nihil aliud præter panem & vinũ accipitur. Ex illis igitur cum fiant, manere illa vnde fiunt in priore substantia non possunt, quia neç terra mansit quæ facta est Adam, nec os quod factum est Eua, nec sanguis Mariæ qui factus est Christus. At nunç instat Lutheranus acerrimè ac teneo te, inquit. Si enim ex pane & vino corpus

Lib. 4. cont. Marc.
De Sacrament. li. 4. c. 4.
In Ioan. Hom. 44
ad Galat. c. 5.
Gen. 1. & 2.
Luc. 1.

Christi ac sanguis fiat, quãquàm panis & vinũ in tota sua natura nõ maneant, tamen materia saltem illorũ manere debet, quæ neque generatur vnquã neque corrumpitur. Iã si materia panis & vini manet, tota substantia illorum in totam Christi substantiã nõ mutatur, atq; ista ratione transubstãtiatio non stabilitur. Ergo illud mihi nunc probandũ est, neque materiam quidẽ panis & vini restare: si prius hoc admonuero, Lutheranos omnes vel ex hoc solo victos esse, quòd tota prior essentia panis & vini post cõsecrationẽ in vetere natura manere non possit, quod tamen illi summa cum pertinacia hactenus defenderunt. Non autem oritur nunc primũ corpus Christi, vt opus ei sit materia quapiam vnde generetur, sed iam olim Christus de spiritu sancto ex Maria virgine conceptus, materiam de illa sumptam *in melius ineffabiliter commutauit*, faciens de purissimo sanguine mulieris, carnem &

Quòd ne materia quidem panis & vini manet.

Aug. lib. 83. quæst.

ſanguinem filij dei. Quapropter cum hæc mutatio quæ in ſacramento fit, ad generationem corporis Chriſti non requiratur, nulla proſus cauſa eſt, cur vlla materia panis & vini ſuperſit. Neque verò fit aliquid quod antè non erat, ſed quod erat in ſe perfectiſsimũ, id hîc fit præſens per tranſubſtantiationem. Cogitate igitur, atque acerrimis mentis veſtræ oculis contemplamini, panem & vinum non in quamlibet rem, ſed in ipſum Chriſti corpus & in ſanguinem filij dei mutari debere. Recordamini deinde Chriſtum, finita iam humili carnis ſuæ diſpenſatione, ad dexteram dei patris in cœleſtibus aſsidẽtẽ, nec augeri, nec minui, nec omnino pati aliquid poſſe. Itaque cum poſitum ſit hanc mutationem, qua de agimus, in Chriſti naturam fieri, quis ferat vt infima hæc materia panis & vini vel materiam carnis Chriſti iam immortalem expellat, vel ſimul cum ea maneat, perinde quaſi

Ro.6.
Acto.7.

neceſſe

necesse sit aut toties augeri Christum nouæ materiæ accessione, aut toties priore sua materia spoliari, quoties panis & vinum in corpus eius & sanguinem consecrantur. Sin hæ sunt cogitationes indignæ hominibus Christianis, & tamen verbum dei fallere non posit, quo post acceptum panem dicebatur, *hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem*: restat vt non modo essentiam panis ac vini, sed materiam præterea vniuersam in corpus & sanguinem Christi transire credamus. Quibus ita constitutis, id iam sequitur, vt ostendamus, quàm accuratè veteres sacrificiorum figuras hæc noua transsubstantiatio impleat. Ita ferè comparatum videmus, vt cuiusque gentis publica sacrificia communem totius populi statum optimè significent, ac declarent. Nec iniuria. Si enim lex commune præceptũ, & communis reip. sponsio est, ad cuius normã omnes ciues conformare Luc. 22.

se

ſe debent, atque illa tamẽ ipſa lex rebus
ſacris vſq; eô deſeruit, vt præ illis propê
omne ius priuatum videatur, ſolumque
id publicum exiſtat quod in ſacris, in ſa-
cerdotibus, inque magiſtratibus (qui &
ipſi ſacroſancti habentur) conſiſtit: ſi
propterea D. Paulus dicebat, *tranſlato ſa-*
Heb. 7. *cerdotio neceſſe eſſe vt legis tranſlatio fiat,*
quia videlicet ſacerdotio lex vbique ſer-
uit: ſi ergo in ſacris ritibus & ceremo-
nijs nullus eſt cultus excellentior ſacri-
ficio in quo ſummum honorem deo
publicè deferimus: meritò qui eccleſiæ
cauſam omnem (quæ potiſsimum in
tranſubſtãtiatione hac exprimitur) ſcire
vult, à ſacrificio Chriſtiani populi, de
quo nunc agitur, cognitionis ſuæ initiũ
capere debet. Sacrificium autem eccle-
ſiæ Chriſtianæ (præter ſeipſam) nihil a-
liud, quam corpus Chriſti eſt. De illo
enim corpore, ipſe Chriſtus *ingrediens*
Heb. 10. *mundum dicebat, ſacrificium & oblationem*
(legis Moyſaicæ) noluiſti, corpus autem ap-
taſti

tasti mihi. Quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus (ait Augustinus) *corpus eius offertur & participantibus ministratur*. Itaque cum D.Paulus de verò dei cultu amplectendo, fugiendaque idololatria ageret, vt gentes dæmonijs, & nõ deo immolasse dixit, Iudæos autẽ deo quidem immolasse, sed per eam rem altaris sui, hoc est ciborũ in altari vmbratili oblatorum participes fieri, non autem altaris veri, quod Christus est (*siquidem nos aliud altare habemus de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt*:) Ita (vt etiã est apud D.Augustinum) secutus ostendit ad quod sacrificium debeant iam pertinere Christiani, dicens: *vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus nonne participatio corporis domini est?* quasi dicat, vt ex gentibus alij tauros Apollini, alij porcos Cereri mactant, ex

Iu-

De ciuit. dei li. 17. c.20.

1.Cor. 10.

Heb.13.

Contra aduersar. legis & prophetar. li.1. cap.19.

1.Cor. 10.

Iudæis autem alij agnum, alij caprum, alij ſimilam deo immolant, & omnes recuiuſque ſacerdotij obſeruatores de rebus oblatis participant, & per illas cum eo cui offeruntur: ſic nos Chriſtiani corpus & ſanguinem domini *in ſacramento quotidie immolamus*, & per id cum Chriſto vnus panis, vnum corpus efficimur. Hoc igitur ſacrificium noſtrũ quod eſt corpus Chriſti, per *trãſubſtantiationem* conſecrari debuit, tum vt impleantur vetera naturæ, legiſque ſacrificia, quæ vſque ad Chriſti aduentum vacua erant & imperfecta, tum etiam vt totius myſtici corporis Chriſti ad deũ conuerſio, & cum deo coniunctio, ſignificante myſterio deſcribatur. Sacrificia primum omnia ſiue illa interna tantum erant (vt pote cordis contriti & humiliati) ſeu etiã externa, (vt oblationes, & victimæ vel pacificæ, vel pro peccato) ante Chriſti aduentum imperfecta fuerunt & vacua. Nam qui ex fide per gratiam

Ad Bonifacium. Ep. 23.

Pſal. 50.

Leuit. 6.

tiam

tiam dei benè ac iustè operabantur, illis deerat fidei suæ perfectio,& complemẽtum,hoc est, *mediator dei & hominum, homo Christus Iesus qui* per sanguinem suum reconciliaret eos deo, fidemque de natiuitate ac morte ipsius tot ante seculis habitam,verè nascendo ac moriendo adimpleret. Non enim poterat *fides etiam per charitatem operans* absq; Christi morte,vel patris iram placare, vel ianuam regni cœlorum aperire. Quo minus mirandum est, si externa sacrificia (*quæ internorum Sacramenta,id est,sacra signa erant*) multo magis inania ex se & vacua extiterunt.Quomodo enim signum & figura,ipsius veritatis conditionem superare poterat? Itaque vt illa interna fidei & charitatis sacrificia, initium quidem salutis per gratiam dei erant, sed consummationẽ non nisi per carnẽ Christi Iesu acceperũt:sic eueniebat in externis eorum figuris.Nã cũ *initium* externorũ sacrificiorũ sit, materiã habere

1. Tim.2.

Gal.5.

Actor.4.

Augusti. de ciuita. dei.lib. 10. ca.5.

Externi sacrificij partes. 1.

2. habere quæ offeratur: *progressus* verò, vt ea materia per consecrationem in melius mutetur: 3. *finis* demum, vt sanctum opus quod ex illa mutatione efficitur, deum offerenti placatum reddere *& pro viciosis mundandis possit offerri*: eatenus vetera sacrificia profecerunt, vt & rem habere offerendam, & oblatam aliqua ex parte mutare possent. Agnum quippe oblatum poterant mactare, adolere, comedere, denique ex agno aliud quiddam quod agnus non esset facere. Sed cum debuerit sacrum opus per illam mutationem effectum ad rem longè meliorem & ipsum peruenire, & offerentes perducere, hîc miserè deficiebant omnia & rerum anima carentium, & brutorum animalium sacrificia. Nam simila per ignẽ in cineres, agnus per mactationem redigitur in cadauer. Quæ vtilitas in his operibus vtrisq;? Quis dubitat quin melior sit farina triticea, quã cineres aridi? melior *vel canis viuus quã etiam*

August. de trin. lib. 4. ca. 14.

Eccle. 9.

etiam leo mortuus? Quid ergo in his rebus ſignificatum eſt? Vtique nec aliqua victima carere homines poſſe, neque præſente contentos eſſe: qualem habent afferunt, vt meliorem offerendo obtineant. Hinc illæ tot mutationes. *Occiditur* animal, occiſum in fruſta *diuiditur*, diuiſum *comburitur*, combuſti cineres *efferuntur extra caſtra*, ſed nondum quies, nec enim vel ſic inuentum eſt quod quærebatur. Quis ergo finis mutationum, aut vnde ſpes quietis? Sine controuerſia de cœlo expectanda eſt. Cuius rei typus olim fuit propoſitus, dum res oblata, per flammam diuinitus excitatam, in meliorem hoſtiam conuertebatur. Per illam quippe inflammationem *reſpexiſſe dominus creditur ad Abel & ad munera eius*. Per illam *aſcendit ignis de petra & carnes azimoſque panes Gedeonis conſumpſit*. Per illã ad Salamonis preces *ignis deſcendit de cœlo, & deuorauit holocauſta & victimas*. Deniq; me- Leuit.1. &.6. Gen.4. Hieron. in.quæſt. heb. Iud.6. 2.Par.7.

3.Reg.18 moria tenere vos arbitror quid Elias egerit in monte Carmeli. Aedificauit de lapidibus altare in nomine Domini, (prorsus eiusmodi qualia nunc ab hæreticis passim diruūtur) *diuisit per membra bouem, & posuit super ligna, & fudit aquam super holocaustum tribus vicibus, cumque iam tempus esset vt offerretur holocaustum ignem de cœlo petens, domine (inquit) deus Abraham, & Isaac, & Israel ostende hodie, quia tu es dominus deus. Ceciditque ignis domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoq;, & aquam quæ erat in aquæductu, lambens*. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam & ait: *dominus ipse est deus, dominus ipse est deus*. Ergo de cœlo ignis expectandus est qui terrenam nostræ oblationis materiam absumat. *Omnia enim ista in figuram contingebant illis.* Venit igitur de cœlo cœlorū, de sinu patris filius dei carnem accipiens de Maria, eamq; in cruce per

Ignis de cœlo.

1.Cor.10

per mortem deponens; tertia die mortem vita gloriosa commutauit, eo sacrificio patris iram iustißimè placans, nos deo reconcilians, ianuam cœli aperiens, beneficia noua nobis impetrans, gratiasq; pro impetratis perpetuò agens, adijciens infirmæ naturæ superabundantē gratiam, mortuæ legi spiritum viuificātem, infidelibus fidem, fidelibus perfectionem, ac *finem fidei salutem animarum*. Ac sic quidem sacrificijs internis cōsultum est. Sed quid? Externa sacrificia nū-quid etiam suam perfectionem non obtinuerunt? Absit, vt non obtinuerint, *cum nec iota vnū, nec vnus apex præterierit ex lege, donec omnia fuissent facta*, quātoq; magis ius naturæ quod apud omnes idem, nulliq; mutationi obnoxium censetur, à Christo sarctum tectum per omnia est conseruatum, ita vt & externum aliquid, propter ius naturæ, & id perfectißimum propter aduentū Christi deo sacrificari oporteat, qui solus

Ioan. 19
Rom. 5
Coloss. 1
1. Pet. 1
Matth. 5

Augu. de ciuit. dei. lib. 10. cap. 17 vetera sacrificia per meliorem sacerdotem in melius mutanda prædixit. Cum enim vel maximè obligemur ad nomē dei publico sacrificij cultu palam confitendum, cui (vel Philone attestante) is honor necessariò deberetur, etiamsi nihil ab eo expectaretur gratiæ: cumq; & omnes Patriarchæ *quæ de manu domini acceperant, eorum primitias ei dederint*, & Propheta Dauid familias gentium (quas non nisi tempore noui testamenti conuertendas præuiderat) inuitet *ad afferendum domino gloriā & honorem*, & Malachias apertè denuntiet *magnum esse nomen domini in gentibus, & in omni loco sacrificari & offerri uomini eius oblationem mundam:* vtrum nos, illæ gentium familiæ de quibus Prophetæ prædixerunt, ius illud naturale (quod auctore deo accepimus, hausimus, imbibimus, quo Abel, Noe, Abraham, Helias vt exterius deo sacrificarent adducti sunt, quod mutari nunquàm potest, ac ne defice-

Philo. in lib. de victimis.

1. Paral. 29.

Psal. 95

Malach. cap. 1

Gen. 4. 9 22.

3. Reg. 18

re

re quidem) nos in Chriſto regenerati poſt tot accepta beneficia ſtatuemus illud innatum ius eijciendum ex animis noſtris, atq; è republica Chriſtiana exterminãdum? Cumq; bellum deo (more gigantum) intulerimus negantes illi honorem & cultum externi ſacrificij, in Chriſtum præterea, tanquàm id ille prohibuerit, eius rei cauſam aut potius culpam conferemus? Quaſi vero perfectiſsimum illud ſacrificium quod ſemel in cruce oblatum credimus, aut ſine teſtimonio in Eccleſia dei ſit relictum, aut quicquid illud erit quod tãtam oblationem publicè annunciabit, non debeat ob eam ipſam rem ſacrificiũ & dici & eſſe. Nam ſi rationẽ publici ſacrificij verè cõſecuta ſunt quæcunq; ab hominibus pijs in prophetiã futuræ mortis Chriſti celebrata ſunt, quantò iuſtius ea religio quæ ab ipſo Chriſto in ipſius mortis annũtiationem inſtituitur, omnino ſacrificium cenſeri debet atq;

Heb.10. existimari? Nam tametsi Christus in cruce moriens vna oblatione *consummauerit in æternum sanctificatos*, tamen quemadmodum eo sacrificio non fecit vt non peccaremus omnino, sed vt do-

1.Ioan.1. lentes de peccatis, veniam per ipsius sanguinem in fide ac dilectione dei cõsequamur: sic neque vnicum illud cruentum sacrificium impedit, quo mi-

Ambrosi. de sacra. li.4.c.6. & lib.5. cap.4 nus incruenta hostiæ semel mortuæ, nunc autem in æternum viuentis oblatione, mortis beneficium nobis quotidie peccantibus etiam quotidie dispensetur: præsertim cum Christus *manens*

Heb.8 *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & habere necessario debeat*

Oecume. in.c.5.ad Heb. *quod in æternum, id est vsq; ad consummationem sæculi offerat*; & id nihil aliud esse

Philip.2 queat *præter vnicam illam pro peccatis hostiam*, quæ per mortem in gloriam cœle-

Heb.8 stem intrauit, vt talem haberemus pon-

λατουργός λ. tificem qui sedens ad dexteram dei *minister etiam esset sanctorum*. Nam in ho-

dier-

diernum diem Christus ministrat sanctis (hoc est Christianis qui vocati sunt sancti) vt cætera gratiæ sacramenta, sic etiam corporis & sanguinis sui hostiã. de qua post acceptum panem ipse dixit, *hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Luc.22 Itaque D. Chrysostomus omnia pontificatus legalis ornamenta, magnumq; illud Heliæ sacrificium *leuia merito nominauit præ ijs quæ gratiæ tempus nobis aduexit, dum conspicimus dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfusam precioso illo sanguine intingi ac rubefieri. O miraculum, O dei benignitatem qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, fitq; id conspicientibus circumsistentium omnium oculis. Adest sacerdos non ignem gestans, sed spiritũ sanctũ: is preces diuturnas fundit, non quòd flamma cœlitus dilapsa, sacra apposita absumat, sed vt gratia in* De Sacerdotio.li.3

ſacrificium influens, per illud ipſum omnium animos inflãmet. Notate verba Chryſoſtomi. Gratia dei velut flamma quædam cœleſtis in ſacrificium influit, ac poſtea non per fidem ſolum & charitatem, ſed *per illud ſacrificium quod eſt corpus Chriſti, noſtros animos inflammat & purgat*. Iam vero D. Ambroſius idem exemplum Heliæ ad rem noſtram accõmodans, *ſi tantum (inquit) valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo vt ſpecies mutet elementorum?* Cum igitur eſſent & vera cordis & typica corporis ſacrificia, cum ſolus Chriſtus omnia in ſeipſo tam in corde quàm in corpore per crucem adimpleſſet, vt quæ in ipſo erant pleniſsima, in corda & corpora noſtra de ipſius plenitudine redundarent, in ea nocte qua tradebatur externum Eccleſiæ ſacrificium inſtituens, *noui teſtamenti nouam docuit oblationem*, vbi & panis & vinum in corpus & ſanguinem ſuum conuerteren-

Ambroſius de ijs qui init. cap. 9

Ireneus li. 4. c. 32

terentur, & nos illa eadem tam corde per fidem, quàm corpore per ſacramentum accipientes, ad ipſius imaginem per hæc myſteria transformati, viueremus in ipſo, & per ipſum, *iam non nos, viueret autem in nobis Chriſtus*. Ecce finem ab omnibus externis ſacrificijs expetitum, ac iam tandem in vno ſolo eorum genere perfectiſsimè adeptum. Noluit enim tanta victimarum varietate Eccleſiam ſuam deus onerare, quanta in vetere ſynagoga ad populum duræ ceruiris comprimendum imponebatur, ſed mundiſsimam ſpeciem ex omnibus, & paratu facillimam deligens, dum panis & vinum aqua mixtũ in corpus & ſanguinem ſuũ conuertuntur, æterni ſacerdotij veritatem ſub magni ſacerdotis Melchiſedech Sacramentis, & infidelibus hæreticis occultauit, & fidelibus Chriſtianis exhibuit, *ijs qui ex fide ſunt Abrahæ, qui benedicentur cum fideli Abraham*. Atque hæc eſt cauſa cur ſacer- Augu. in epi. ad Ianuar. Gal. 3

dotiũ Melchiſedech adeò mirificè præ-
latum ſit cœteris omnibus, quia hoc ſo-
lum materiam ſuæ oblationis, hoc eſt
panem & vinum in longè optimam ho-
ſtiam conuertere per Chriſtum potuit,
atq; ita vero externi ſacrificij fine (qui
eſt corpus Chriſti) diuinitus impetrato,
manſurum erat in vetere ſpecie, ac noua
veritate in æternum. Nam quæ inſania
Gen. 14. eſt, negare id quod geſtum eſt à Mel-
chiſedech, figuram cœnæ dominicæ
1. extitiſſe? *Melchiſedech* enim ſacerdos
Heb. 5. dei ſummi fuit: *& Chriſtus* dei ſummi
2. ſummus eſt ſacerdos. *Ille* panem & vi-
Matt. 26. num protulit: *hic* panem & vinum ac-
3. cepit. *Ille* benedixit, *& hic* benedixit.
Marc. 14. 4. *Ille* benedicendo obtulit Abram deo,
Gal. 3 cum diceret. *benedictus Abram deo excel-
ſo*: *& hic* benedicendo obtulit deo vni-
cum illud ſemẽ Abrahæ ſecundum car-
nem (quod eſt corpus ſuum) dicẽs, Hoc
5. eſt corpus meum. *Ille* gratias egit deo
pro Abrahæ victoria per ipſum victoris
cor-

corpus quod propè in manibus tenens dicebat: *benedictus deus quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et hic*, gratias egit deo pro victoria sua contra mortem & diabolum, in ipso illo corpore quod diabolum vicerat, dicens: *hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Ille* quamuis panem & vinum protulerat, tamen viso semel Abraham (quasi occurrente meliore hostia) ipsi statim benedixit, nec vlla amplius panis aut vini facta est mẽtio, *quia Christus* à pane & vino quod accepisset, in illam longè meliorem carnis suæ hostiam quæ est ex semine Abrahæ, ita erat per benedictionem transiturus, vt panis & vini substantia deinceps non manerent. *Ille* panem & vinum obtulit quidem velut sacerdos dei altissimi, sed tanquàm sacrificij non finem, sed materiam, quæ mutari deberet in carnem Abrahæ, sicuti verissimè in illam mutata est, cum Abraham panem illum comedens, vinumque bibens

Gen. 14.

Luce. 22.

6.

7.

eam

eam in proprij corporis ſubſtantiam conuerit. Nam & [a] Philo Iudæus & [b] Ioſephus & [c] Clemens Alexandrinus, [d] multiq; præterea teſtantur Abraham comediſſe illa que offerebantur à Melchiſedech. [d] Cibus autem amittens ſpeciem ſuam, in corpus comedentis vertitur. Itemque Chriſtus cum accepiſſet panem & vinum velut materiam vnde ſacrificium ſuum fieret, ea conuertit *in frumentum electorum atq; in vinum quod generat virgines*, in corpus videlicet ac ſanguinem ſuum. Nõ quòd panis communis (ait Nyſſenus) *dum comeditur à Chriſto, eo progrediatur vt verbi corpus euadat, ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt dictum eſt à verbo, quoniam hoc eſt corpus meum*. Quod enim Melchiſedech non niſi per comeſtionem Abrahæ obtinuit, vt in carnem illius illum ſuum panem & vinum transferret, id Chriſtus *implens veritatem præfiguratæ imaginis*, ore ſolo ac verbo perfecit, *vt ipſum*

a. In lib. de Abraham.
b. Antiq. Iudai. li. 1. cap. 10.
c. lib. 4. Strom.
d. Aug. li. 83. quæſt. 73.
Zacha. 9.
Nyſſenus in orat. Catech.
Cyp. lib. 2. ep. 3.

ſum eſſe fabricatoris mundi filium (hoc eſt verbũ dei per quod lignum fructificat) & dicamus & credamus : dum conſtat nobis, eum panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini noſtri,& calicem ſanguinis eius. Irenæus. lib.4, cap.34.

Debuit enim veritas vmbram ſuperare, nõ tam in operãdi modo, quã in re ipſa.

8. Dum Melchiſedech obtulit Abraham deo, etiam hoſtia quæ offerebatur (hoc eſt ipſe Abraham)ſeipſum ſecreta pietate obtulit, eiuſdem precij victimam, ſiuẽ illã vt viſibiliter à Melchiſedech, ſeu illam, vt inuiſibiliter ab ipſo Abraham offerebatur, eſtimamus . Eadẽ quippe fuit vtrobique res . *Et Chriſtus* dum ex pane facit corpus ſuum, fit vt eadẽ hoſtia quæ *ferebatur in manibus Chriſti, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, hoc eſt corpus meum,* nec minor ſit in veritate naturæ illo ipſo *qui accepit in manus ſuas quod norunt fideles , & ipſe ſe portabat quodammodo :* nec minore pietatẽ ſe offerat deo in cœna inuiſibiliter, quàm viſibiliter in

Auguſt. in pſalm. 33.conc.1

In Conc. 2. Pſalm. 33.

cruce

cruce obtulerat, quia prorsus idem est
9. vtrobique Christus. Abraham licet non
minorem hostiam obtulerit deo quàm
Melchisedech (quia eādem prorsus ob-
Procopius Gazeus in Gen.c.15 Heb.7. tulit) tamen ideo (ratione mysterij) mi-
nor dicitur: quia Melchisedech prolato
pane & vino benedixit ei. Minus est au-
tem quod benedictionem accipit quā
quod illam impartit. Ita & Christus cū
sit idem sacerdos, & idē sacrificiū, siue
in sua specie, seu in sacramēto corpo-
ris & sanguinis sui perpēdatur, tamē ideo
sacramentum Eucharistiæ, figura, sym-
bolum, & signum Christi dicitur, quia
hoc mysterium de pane & vino per be-
nedictionem verbi cœlestis confectum,
sub aliena specie Christum ideo conti-
net, vt quid in sua fecerit, *fideli ore & cor-
de ipsum* verè manducantes, & recorde-
mur intelligibiliter, & participemus de
spiritu eius vtiliter. Hic autem præsentiæ
modus minor quodammodo est ipsa
Christi veritate, præsertim illa visibili
&

& gloriosa. Quæ cũ ita se habeant, nullo modo audiendi sunt qui vel negant ea quæ gerebãtur à Melchisedech erga Abrahã, ad nostrũ sacrificiũ pertinere: vel D. Paulũ putãt cũ de sacerdotio Melchisedech tractaret, nũquã de hoc mysterio vllũ verbũ protulisse. Nã vt omittã quòd Apostolus præfatus sit *grandẽ ei sermonẽ esse de Melchisedech, & ininterpretabilem ad dicendum, quoniã Hebræi facti essẽt imbecilles ad audiendum* (quæ verba D. Hieronimus ad Sacramentũ Eucharistiæ retulit) etiã apertè dictũ est, quòd *Melchisedech ipsi Abrahã qui habebat repromissiones, benedixit. Sine vlla autem cõtradictione quod minus est à meliore benedicitur*. Porrò in illa benedictione per quã Melchisedech & benedixit Abrahæ, & per illũ ipsum Abraham benedixit gratiasque egit deo, in illa inquã typica benedictione, significabatur semẽ Abrahæ, post panis & vini prolationẽ, in nostris mysterijs cælesti quadã benedictione cõsecrandũ: quo-

Gen. 14. Heb. 5. In. Ep. ad Euagrium. Heb. 7.

a. Lib.2. ep.3. b. De synodis. c. In psal. 33. d. Hom. 5. in Pascha. Cyp. li. 2. ep. ad Cecilium.

quo [a] D. Cyprianus [b] Hilarius [c] Augustinus & [d] Eusebius Emissenus respexerunt, dum Melchisedech non proferentem modo panem & vinum, sed etiam benedicentem Abrahæ, significanter animaduertunt. Vt per Melchisedech sacerdotem (inquit Cyprianus) benedictio circa Abraham possit ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificij in pane & vino scilicet constituta. Quid potuit dici planius? Imago sacrificij est in pane & vino, propter eorum speciem atque imaginem in sacrificio nostro permanẽtem. At veritas eiusdem sacrificij cõstituitur in benedictione circa Abraham, ob semen illius quod sub imagine panis & vini reipsa nobis omnipotentia verbi exhibetur. Quomodo autem ex benedicto semine, & præfigurata imagine vnicum ecclesiæ sacrificium conflari posset, nisi quia panis & vini substantia sic transit per operatorium dei sermonem in corporis Christi substantiam,

vt

vt nihil præter imaginem panis & vini superſit, ſub qua Chriſtus benedictum illud ſemen Abrahæ, & patri incruentè offeratur, & nobis in cibum detur. Panis ergo & vinum Melchiſedech mutata ſunt, in meliorem Abrahæ ſubſtantiam. Ipſum verò Abraham de hoſtibus iam triumphantem Melchiſedech obtulit deo abſq; vlla alia mutatione, immaculatam victimã, ſacrificium incruẽtum, rationabilem & viuentem hoſtiã, mundiſsimam oblationem. Quid hoc tandem eſt? Omnia ſacrificia per conuerſionem mutationẽq; fieri diximus, & nunc à ſummo ſacerdote Melchiſedech ſummus patriarcha Abraham offertur deo, illæſus, incolumis, integer? Vnde hoc tam nouũ ſacerdotij genus? Nolite errare. Hæc propter ipſum Abraham facta non ſunt, ſed propter *Chriſtum quem in lumbis Abrahæ Melchiſedech per ſpiritum ſanctum prouidebat* tum in crucis ignominia victurum hoſtes Theodo. re. in Pſal. 109.

(qui captiuum abduxerunt fratrem suũ Lot, genus humanum) tum ab illa victoria reuertẽtem, ipsa corporis sui præsentia finem omnibus cruentis hostijs impositurum, dum panis & vini substantiam per cõsecrationem in seipsum iam immortalem, atque immutabilem mortisq; & inferni victorem conuertens, illo modo maneret sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Species quippe exterior panis &
2. vini eadem semper manet vt significetur hoc esse sacerdotij genus quod tãto ante prædictum fuit, vtq; omnes huius incruẽti sacrificij hostes penitus sint inexcusabiles. Hæc est illa holocausti victima, vbi nulla rei oblatæ pars inconsumpta ab igne diuino relinquitur, *præter solam pellem*, hoc est, præter panis &
Leuit. 4 & 7. vini speciẽ, quæ tamẽ ipsa pellis vt in lege consumebatur igni extra castra, sic etiã ipsa panis & vini species post peractum sacrificiũ ab ijs consumitur qui

sacræ

ſacræ menſæ communicant. Ac ſanè cum in omnibus ſacrificijs aliqua mutatio ſemper interuenerit, in ſingulis autem eo maior, quo ſacroſanctius victimæ genus immolatum eſſet, eaque de cauſa in holocauſtis longè maxima mutatio fieri ſoleret, dum tota hoſtia igne conſumeretur: certè vbi Chriſti corpus & ſanguis offeruntur (quibus nihil maius in toto genere ſacrificiorum cogitari poteſt) ibi neceſſe eſt longè maximam interuenire mutationem, ita vt ne materia quidem ipſa panis & vini ſuperſit, ſed tota vtriuſque ſubſtantia velut ab ingenti flamma diuinitatis Chriſti correpta, in carnem eius & ſanguinem penitus abſorbeatur. Qua quidem ex re tum Chriſti diuinitas vel maximè cernitur, tum Eccleſiæ ad ipſum conuerſio aptiſsimè exprimitur, quæ erat poſtrema huius meæ orationis pars. Manifeſtatio deitatis Chriſti ex nulla re magis efficitur,

De conſecrat. diſtinct. 2. Nihil.

tur, quàm ex iſta mirabili tranſubſtantiatione quam quotidie in ſacramento Euchariſtiæ, verbo ſuo ipſe operatur: id quod non obſcurè in Moyſe adumbratum, apertius ab Elia prædictum eſt. Nam cum virga Moyſis in ſerpentem verſa eſſet, ac iterum ſerpens in virgam: cauſam eius generis miraculi deus ipſe
Exod.7. reddens, *vt credant, inquit, quod apparuerit tibi dominus deus patrum tuorũ.* Quibus verbis docet & per miraculum confirmandam eſſe domini apparitionem, & id miraculum in conuerſione rerum fore collocãdum. Vt igitur credant omnes homines quòd apparuerit dominus in carne hominis, oportuit miraculum aliquod in conuerſione rerum conſtitui. Nunquid enim Moyſes in figura
Deut.18 Chriſti non præceſsit, cum diceret, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi dominus deus tuus, ipſum audies?* Vt igitur Moyſes figura Chriſti fuit, ſic dum Apoſtolatũ ſuum

probat per miraculoſam conuerſionem virgæ in ſerpentem, interim ſignificat Chriſti miſsionem in carnem, per ſimile conuerſiouis miraculum fore conteſtandam. Deinde nunquid Elias victimæ ſuæ mutationem per flammam quæ de cœlo deſcẽderet, petens, cauſam eius rei non addidit, *vt diſcat populus iſte quia tu es dominus deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum?* quaſi dicat, conuerſio vnius rei externæ in aliam diuinitus facta, docebit & Chriſtũ eſſe dominum deũ, & cordium conuerſorem fore, cum in terris apparuerit. Quis autem neſcit, ſecundum Apoſtoli ſententiam, *apparuiſſe gratiam dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudientem nos vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, vt conuertamur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad deum*. Illam itaque externam apparitionem Chriſti, & internam cordium conuerſionem oportet con-

3.Reg.18 Tit.2 Acto.26

ſtatam reddi per mirabilem aliquam rei externæ, ſed occultam tamen illius, & ſecretam conuerſionem in meliorem ſubſtantiam. In nouo autem teſtamento CHRISTVS fecit aquam vinum. Cur tandem? Vtrum ob eam præcipuè cauſam vt biberet Architriclinus? An potius vt is, & alij conuiuæ bibentes, darent gloriam deo, & crederent in IESVM CHRISTVM quotquot doctrinam eius recipere vellent. Ait e-
Ioan.2 nim Euangeliſta, *& manifeſtauit gloriam ſuam: & crediderunt in eum diſcipuli eius*. Sed quo tempore fecit IESVS hoc miraculum? Nonne quando primum ſe manifeſtauit? *Hoc fecit initium ſignorum I E S V S in Cana Galileæ*. Initium ſignorum per quæ manifeſtatur IESVS, à creaturarum conuerſione in prandio nuptiali factum eſt, & finis ſignorum, in cœna Paſchali, conſtituitur in creatura-
rum

rum conuerſione. Ibi vt crederent diſcipuli, hîc, vt fidei augmentum & nutrimentum perciperent. Sed quid habet creaturarum iſta conuerſio commune cum fide, & cum gloria CHRISTI manifeſtanda? Primum illa ſunt miracula maxima, quæ maximam operantis potentiam oſtendunt. Operatur autem deus & interius in rationali creatura, & exterius, tum in illa, tum in alijs ratione carentibus. Hoc autem Dei opus in creaturis maximum intelligitur, quod totam rei penetrat ſubſtantiam & non ſolum qualitatem afficit. Deus igitur quando cuncta creauit ex nihilo, quando angelos, & homines effecit capaces viſionis Dei, dans illis iam tunc dona gratiæ, daturus præmium gloriæ ſi perſeuerarent in officio, & obedientia erga ipſum, tunc opus fecit interius exteriuſque proprium Dei, dum totam rei ſubſtantiam de nouo

effecit atque ornauit. Cum autem homo lapsus in peccatum, *dereliquisset fontem aquæ viuentis*, restabat aliud opus faciendum, tantô maius illo primo, quantum interest vtrum quis operetur nemine sibi repugnante (quemadmodum deus fecit mundum) an verò in operatione sua habeat aduersarium. Nam Christus in mundum missus vt hominem reduceret ad deum, habuit ipsam creaturam suam sibi aduersantem, quæ liberum arbitrium quod ei deus ad honorem donauerat, deo impotêter opposuit, *diligens magis tenebras quã lucem*. Cum igitur homo esset per Christum conuertendus ad deum, (quod nõ minus magnum est miraculum quã hominis & mundi totius creatio) sapientia dei illo genere miraculi voluit ad homines conuertendos vti, quod instituto suo maximè respondebat. Ob quam causam in rerum conuersione oportebat summam gloriæ Christi mani-

Iere. 2

Ioan. 3

manifeſtationem collocari. Nam cum *deus requieuerit die ſeptimo ab omni opere* Gen. 2.
quod patrauit, & ideo filius dei noluerit creare totam alicuius rei ſubſtantiam de nouo, ſed potius vti creaturis patris ſui ad gloriæ ſuæ manifeſtationem, (vt ne Tertull.
patri aduerſarius, aut noui dei præco vi- cont.
deretur) illud reſtabat, vt vnam totam Marci.
creaturam in aliam diuinam ſubſtantiam conuertendo, & patri ſe oſtenderet æqualem, & hominis ad deum conuerſorem. Nihilo enim ferè minoris poten- Ambroſ.
tiæ eſt ex vno toto aliud totum ſubitò de.ijs qui
facere, quàm rem nouam ex nihilo crea- init.ca.9.
re. Sed hoc facere non poſſet qui creatoris primæ rei hoſtis eſſet. Conuerſio igitur rerũ cum ſit finis aduentus Chriſti, quis miretur memoriam omnium miraculorum, atque adeo paſsionis ſuæ in hac tranſubſtantiatione poſitam eſſe? Nam ipſe præcurſorem ſuum præmiſit. In quo ſigno? An non *vt cõuerteret cor-* Iohan. 1.
da patrum in filios, & incredulos ad pru- Luc. 1.

dentiam iustorum? Ipſe carnem de virgine aſſumens, prophetiam Eſaiæ adimpleuit, in qua dictum eſt, *Dominus ipſe dabit vobis ſignum, ecce virgo concipiet & pariet filium.* Quod ſignum an non in eo potiſsimum elucet, quôd filius dei puriſsimum ſanguinem virginis vnico momento in carnem & ſanguinem ſuum conuertit, faciens de ſanguine mulieris, carnem & ſanguinem dei & hominis, *illum commutans & formans ineffabiliter in melius*, quia non de nihilo, ſed per alicuius in ſe conuerſionem naſci voluit? Ipſe dum viueret, manifeſtauit ſe verum deum. In quo ſigno clarius quàm dum tranſfiguratus eſt? Manifeſtauit ſe verum hominem. In quo potiſsimum ſigno? An non dum ederet ac biberet? Quod autem ſignum aduentus CHRISTI erat hoc, niſi quòd panis quem edit, & vinum quod bibit, conuertebatur in veritatem carnis & ſanguinis ſui?

Eſai. 7. | Aug. in li. 83. quæſt. 73 | Matth. 17

Non-

Nonne cum *ex lapidibus suscitauit filios Abrahæ*, tunc vnam rem conuertit in aliam? Caput est, quod in propria natura per mortem in cruce susceptam, mutationem maximam passus, etiam *in melius resurrectione mutatus est*. Vnde & nos *consepulti cum CHRISTO per baptismum in ipsius morte, noua creatura reddimur in ipso*. Neque parua hæc est commutatio, quæ de tenebris in lucem, de mundo in cœlum, de morte in vitam æternam nos transfert. Rursus si de gratia baptismi excidimus, nonne per pœnitentiam conuerti oportet ad deum? *Conuertar, inquit: Deus & miserebor eorum: Et alibi, Conuertimini ad me & salui eritis*, vt mirum non sit, si ad horum omnium significationem CHRISTVS *mirabilium suorum memoriam* in ea conuersione posuit, in qua panis & vini substantia *sicuti olim per comestionem*, ita nunc transieret

Matth. 3. Aug. de ciuit. dei lib. 10. c. 24. & 29 Ro. 6. Gal. 6. Hier. 12. Esai. 45. Psal. 110. Gregor. Nyss. in orat. Catechet.

per omnipotentiam verbi in corporis & sanguinis sui substantiam. In hæc enim purissimus Mariæ sanguis ab initio aduehtus Christi mutatus est. Hæc pro-
Exo.17, Ioan.2. pter mutationem in cruce susceptam, in immortalem gloriam mutari meruerũt. Hæc nostræ sunt causa mutationis in baptismo. Hæc operabantur petræ in aquam, aquæ in vinum, vini autẽ in sanguinem mutationem. Hæc conuerterũt incredulos ad fidem, & malè viuentes
Iohan. 6. Christianos ad pœnitẽtiã. Hæc mortalia corpora nostra de morte ad gloriam resuscitantia, nostrã iustificationem consummant, & perficiunt. In hæc nos mu-
1. Cor. 10. tari oportet, donec omnes vnũ corpus in Christo fiamus, ex manducatione carnis eius ita viuentes propter ipsum, vt ipse missus à patre viuit propter patrem. Hoc est signum quod Christus fidelibus dat vt videant per fidem, & maneant in fide eius. Hoc est opus quod ille operatur, statum ecclesiæ significans,

qui potissimum consistit in omnium conuersione ad Christum: per quem omnia reducuntur in deum, vt sit *deus omnia in omnibus.* Hæc cum ita se habeāt, auditores optimi, recogitate animis vestris quàm indignum sit & Christi honore, & impletione legis veteris, & statu Euangelij, vt hæc omnia reuocentur ad vmbras minus quā Mosaicas, ad meras figuras, ad nudum nomen. Dicitur (inquit hæreticus) dicitur, fateor, in Euāgelio corpus Christi, sed est triticeus panis. Nominatur à patribus cōsecratio, conuersiō, cōmutatio, transelemētatio, transitio panis & vini, in naturam, in veritatem, in substantiam corporis & sanguinis Christi, sed hæc transmutatio nomine tenus fit non re vera. O vocem blasphemia plenam. Credis aquam fluuiorum Aegypti verè versam in sanguinem? Credis petram in eremo, verè versam in aquam? & cum ventū est ad tempus illud quod per illas figuras significauit

1. Cor. 15.
Exo. 7.
Exo. 17.
1. cor. 10.

nifi-

nificabatur, iam conuerſionem putas non verè fieri? Illud propter hoc factum eſt, & fit illud verius quàm hoc? Deus illic operatur per Moyſen, Deus hîc per ſeipſum carnem factum: Et ſuperant illæ vmbræ *hanc ipſam rerum imaginem* ac ſecretam veritatem? Verba deſunt, Auditores, ſenſus deficit, memoria, mens, cogitatio non aſſequitur huius opinionis palpabilem cæcitatem. & tamen ſunt qui ita opinentur. Sunt? Non dico in hac ſchola ſunt, certè oppida tota ſunt, ciuitates ſunt, gentes ſunt, prouinciæ ſunt, denique multa, ſed infelicia, regna ſunt, quæ ita opinentur. In quæ nos tempora reſeruaſti ſumme deus? Benedictum nomen maieſtatis dei, qui nullis noſtris meritis, ſed magna miſericordia ſua, nos ab illis tenebris ereptos, in luce ſanctæ Romanæ eccleſiæ conſeruauit, vt luceret nobis lucerna in candelabro illo poſita, quam deus ipſe in principe Apoſtolorum accen-

Heb. 10.

Matth. 5.

cen-

censam vsque in hodiernum diem lucentem seruauit, vt videremus ciuitatem in monte collocatam, cui scimus per Petri & Pauli prædicationem traditum Euangelium, cuius populi fides Apostolico ore laudata, *annunciatur in vniuerso mundo. Inde sacerdotalis vnitas sumpsit exordium*. Ibi succeßio Pontificum iam inde à Petro vsque ad Pium quartum, multo manifestius Christum in carne passum, eiusque veram fidem toti orbi Christiano denunciat, quàm olim fideles posteri Abrahæ, venturum in carne Christum eiusque fidem continua nascendi serie Hierosolimis prædixerunt. Ad illam ecclesiam velut ad matricem vt Anglos, Scotos, Danos, Suecos, Bohemos, Polonos, Germanos, Gallos reducas, per filium tuum petimus, qui saxea hominum corda nouit in mollißimam ceram conuertere, in cuius rei signum panis & vini sub-

Rom. 1.

Cyp. de vnit. ecclesiæ.

ſubſtantiam ſolius verbi ſui poteſtate voluit in corporis & ſanguinis ſui ſubſtantiam veriſsimè commutari. Quod ergo per myſteria viſibilia facere te ſignificas inuiſibiliter domine, hoc nunc factis ac rebus ipſis palàm oſtende, vt credant populi iſti, quòd verè apparueris in terra deus: cui laus & benedictio, & gratiarum actio in æternum.

AMEN.



INSIGNIS DOMINVS PRÆSIDENS CONTRA EAM QVÆ defendebatur Tranſubſtantiationem ita oppoſuit.



Vanquàm in hac tua oratione tum fidem catholicam eruditè confirmaſti, tum pleraſque aduerſariorum rationes ingenioſè refelliſti, vnã tamen prætermiſſam à te fuiſſe valdè admiror: illam præſertim, qua vel in primis Lutherani omnes abutũtur, cum abſoluta iam cœna, CHRISTVM intuliſſe aiunt, *dico*

Matt.26. *autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.* Nemo sanè dubitat quin & hoc genimen vitis ad vini substantiam pertineat, & regnũ patris resurrectionis domini tempus fuerit. Illis verò quadraginta diebus qui resurrectionem eius consecuti sunt, cũ discipulis conuersatus, etiã man-
Actor.10 ducauit & bibit cum illis. Quod autem bibit Christus cum discipulis post resurrectionem, non minus vinum commune fuisse putandum est, quàm id ipsum quod mãducauit, cibus fuit cõmunis. Cumque post calicem in cœna traditum, se amplius *de hoc*

gemi-

genimine vitis non bibiturum dixerit, donec in regno patris illud biberet, ac post resurrectionem nihil aliud bibisse ostendatur, præter fructum verę vitis: vtique etiam illum potum quem in calice tradidit, eiusdem vitis naturalem fructum fuisse significat, ex eoque nec vinum in sanguinem Christi, nec panis in corpus eius sic mutabatur, vt aut vinum esse destiterit, aut vlla transubstantiatio facta fuerit. Cui loco si plenè satisfeceris, tum demum propositam quæstionem omnibus numeris absoluisse iudicaberis.

RESPONSIO NICOLAI SANDERI

AD RATIONEM DOmini Præſidentis.

I quis locus in ſcriptura ſacra difficilis,& obſcurus eſt (ſicuti ſanè permulti ſunt) ex ijs hunc vel præ-
a. Lib.2. cipuum puto eſſe, quem
in ep.ad Cecil. inſignis dominus Præſidens nunc pro-
b.In Mat. Hom.83. poſuit.Nec enim aut quæ ſit vitis, aut
c. Tract. quod regnum patris,aut quod genus po-
35.in Matth. tationis intelligatur, facilè poteſt expli-
d.Ca.30. cari. Etenim alij vitem naturalem ſigni-
in Matt. ficari putant, ex cuius fructu ſanguis
e.Ad Hedib.q.2. Chriſti confici ſolet, ex quibus ſunt D.
f. De [a] Cyprianus & [b] Chryſoſtomus. Alij ve-
quæſt. No.teſta. rò,& ij multo plures, nempè [c] Origines,
in Matth. [d] Hilarius, [e] Hieronimus, [f] Eucherius

Chri-

Christum esse vitem docent : vnde sequitur sanguinem ipsius dici genimen vitis.[g] Bedæ autem videtur per vitem synagogam intelligi. Alij regnum patris tempus[h] resurrectionis Christi, statũque ecclesiæ præsentis : [i] Alij verò gloriã cœlestem ac dei fruitionem dici arbitrãtur. Non quòd ea difficultas quicquam adiumenti Lutheranis præstet. Quò enim obscuriora verba sunt, eò minus valere apud prudentes debent contra illam apertissimam domini vocẽ, qua dixit, *bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quis autem (nisi insanus) audiens tam perspicuè dictum esse, *hic est sanguis meus*, vt huic rei fidem deroget, alia verba citabit, de quibus neque quo ordine, aut loco sint dicta, nec quem literalem sensum habeant satis certò statui potest. *Quamuis enim diuini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit vtilis quòd plures sententias veritatis parit, & in lucem* *no-*

g. In Mar. ca. 14.

h. Chrysost. in. Matth. Ho. 83.

i. Grego. Nazianz. orat. in Pascha.

Matt. 26.

De ciuit. dei. li. 11. ca. 19.

notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit: ita tamen (vt apud D. Augustinum sequitur) hoc interpretandum est, vt quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel alijs locis minimè dubijs asseratur. Cũ autem fides catholica verbo dei nixa, in quo benedictionis calix communicatio sanguinis Christi dicitur, & credat, & doceat vinũ post consecrationẽ non manere, nũc obscurissimo loco ad eum errorem quasi vinum in calice mystico post consecrationem bibatur, temerè abuti, nonne hoc est à perspicuis, à notis, à certis, ad obscura, ignota, incertaque ferri? Quatuor Apostolicæ authoritatis viri consentiente voce tradunt illud quod in calice continebatur *sanguinem Christi esse, & illum sanguinem qui pro nobis effundebatur*. Quod autem nunc opponitur de genimine vitis, à D. Luca positum est tanquàm ante consecrationẽ cœnæ dominicæ, à Matthæo autem & Marco Euangelistis tanquam

Matt. 26. Marci. 14 Lucæ. 22. 1. Cor. 11.

Lucæ. 22 2. 6. & 14

quàm post cœnam dictum fuisset, idemque interim à D. Paulo (cui vel maximè propositum erat illo tempore integram cœnæ dominicæ institutionem conscribere) prorsus omissum est, velut ad cœnæ mystriũ non necessariò attinens. Quis ergo sapiens per id quod ab alijs alibi dictum recensetur, ab vno autem argumentum cœnæ diligenter tractante omnino scriptum non est, id irritum facere conabitur, in quo illi omnes summè vnicèque conspirarunt? Planè aut solum antè, aut solum post mysticam cœnam, aut simul antè, simul post illam, dictum est, *non bibã amodò de hoc genimine vitis.* Porrò si D. Lucas non temerè in exordio Euangelij sui dicit, *se diligenter & ex ordine scripsisse omnia:* profectò cum apud illum dominus antè calicis atque etiam corporis sui dationem prædixerit *se non amplius bibiturum ex hoc genimine vitis* (quod videlicet inter esum agni paschalis biberat) donec regnum dei veniret: omnino conclu-

Luc. 1.

Hieron. in Matt. c. 26. Theophilactus. & Beda in Luc. c. 22

cludendum est quod posteà, nondum adueniente regno dei, de calice domini hauriebatur, non vinum omnino, sed sanguinem Christi extitisse. *Non bibam,*
Luc.22. *inquit, de generatione vitis, donec regnum dei veniat:* & regnum dei resurrectionem isti interpretantur. Sit ita. Non venerat autem regnum dei quod resurrectionem dicimus, cum Christus (vt [a] Chrysostomus & [b] Hieronimus testantur) de calice bibit. Quod igitur inde bibebat tunc cũ biberet, generatio vitis nõ fuit, quia fructus vitis prius in sanguinẽ mutatus erat. Quid iã lucri ex hac re cæperũt hæretici? Vtrum à D. Luca ad Matthæi & Marci Euangelia prouocabunt? Atqui priores illi scripserunt, posterius hic: Breuius illi, plenius hic. De manducatione implẽda in regno dei nihil omnino illi: at hic illam sic recensuit, vt de agno paschali dictum esse constet, *ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno dei*. Verisimilius vt sit D. Lucam ordine omnia

a. In. Mat. Hom. 83.
b. ad Hedib. q. 2.
Luc. 22

com-

commemoraſſe,& poſt eſum agni,potationem legalis vini ſuo magis in loco poſuiſſe,quàm reliquos duos. At potuit (inquies) fieri vt ſuo loco rem Matthæus & Marcus narrauerint. Ergone ab eo quod fieri etiam aliter potuit, argumentum trahes ad rem certiſsimæ fidei oppugnandam? Age. Ponamus ita eſſe vt 2.
vis. Quid inde conficitur? An vt neceſſariò vinum in calice myſtico dominus biberit? Qua tandem ratione id concludis? Vtrum quia genimen vitis dicitur? Quaſi id nomen in ſanguinem Chriſti ſumma ratione non cadat, tũ quia Chriſtus eſt vitis vera; cuius genimen ſanguis ſuus eſt, tum quia is ipſe ſanguis de naturali vitis fructu per benedictionem Chriſti factus, à materia vnde factus eſt nominatur. An verò ad id cõfugies quòd poſt reſurrectionem Chriſtus cum diſcipulis manducauit & bibit? Quod ſanê cum veriſsimum ſit, nihil tamen te iuuat, quia quod Chriſtus poſt reſurre-

ctionem bibit si vinum commune fuit, profectò id fuit vnde sanguis eius fiebat, non autem id vnde sanguis eius quem in calice mystico dedit,constabat. Accepto enim vitis genimine Christus dicebat,hic est sanguis meus.Ac postea de hoc genimine vitis (vnde nunc feci sanguinem meum, quodque in meum sanguinẽ verbo meo commutatum iam bibi) de hoc inquam siue non consecrato, seu etiam consecrato non bibã, donec regnum dei veniat. Accedit ad hæc quòd resurrectio est quidem regnum dei, sed alia ipsius Christi propria intelligitur,qua post tres dies resuscitatus est, alia verò sanctorum omnium, quæ in fine mundi complebitur. Quid igitur vetat de illo dei regno
1.cor.15. Christum agere, *quando in Christo omnes viuificabuntur,cum tradiderit regnũ deo & patri?* Cum enim calicem noui testamẽti ad statum noui testamenti pertinere necesse sit,si regnũ dei ecclesiam Christi in hac vita intelligimus, certè id iam in-

choa-

choatum erat in conſecratione corporis & ſanguinis domini. At Chriſtus de ſua potatione tanquàm in regno dei (quod non dum venerat) complenda, locutus eſt. Quapropter ſi poſt myſteria dixit, *ſe non bibiturum amplius de hoc genimine vitis, donec in regno dei illud cum Apoſtolis nouum biberet*, regnum dei poteſt accipi totius myſtici corporis gloria in cœleſti regno, vbi Chriſtus nouo modo nobiſcum bibet hoc illud genimen vitis, hoc eſt ſanguinem ſuum quem nunc de naturali vitis fructu cōfectum biberat. Vnde paulo poſt in eodem Euangeliſta ſequitur, *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum*. Ecce regnum patris. Ac deinde. *vt edatis & bibatis ſuper menſam in regno meo*. Atque hac etiam ratione ſicuti in cœlo vinum commune prorſus non bibitur, ita nec in dominico ſacramento materia vini reliqua fuit: ſed potius ſignificatum eſt, illud ipſum genimen vitis, atque adeo illud ſolum in Lucæ.22.

cali-

calice contineri, quod in cœlesti regno ſanctis à Christo exhibebitur: hoc tamen diſcrimine, quòd in calice continebatur ſub ſpecie aliena, in cœlo autem exhibebitur in ſua ſpecie glorioſa. Quam potiſsimum ob cauſam, *nouum* a Christo appellatum eſt, quia nouo & ineffabili modo bibetur. Qua etiam interpretatione efficitur, vt nullo pacto vinum commune potuerit in calice ſtatui per horum verborum vim ac poteſtatem. Poſtremò ſi bis dicta ſunt hæc verba, ſenſus eiuſmodi illis accommodandus eſt, qui ſit ad vtramque cœnam communis, hoc eſt, ad legalem, & myſticam, nihilque aliud exprimat quàm non manducabo, neque bibam vobiſcum amplius aut hoc, aut illo modo *tanquam cibi potuſue indigens*, verum bibam tãquàm à mortuis reſurgens, ita vt hoc genimen ſignificet quamlibet potandi rationem quæ mortali corpori nutriendo reſpondet. Nam quod poſt hac bibiturus eſt Chriſtus

[Margin: Gregor. Nazianz. in paſcha.]

[Margin: 3.]

[Margin: Chriſoſt. in Math. Hom. 83.]

ſtus,non erit ei(velut hoc genimẽ fuit,) in corporis naturale alimentum,ſed tantum erit veræ naturæ viſibile teſtimonium. Conſtat enim corpus Chriſti nutritum fuiſſe tam ex naturali vino quod cum agno paſchali biberat, quàm ex illo cœleſti quod ſub ſpecie communis vini in ſua cœna accepit. Sic enim ſubſtantia vini verſa eſt in ſanguinem Chriſti, vt quod humanis corporibus vtilitatem aliquam ex nutriẽdi ratione afferre poſſet,in ipſa vini ſpecie reſtaret, ne quis aliquid ſibi veteris commodi per nouam mutationem perijſſe quereretur. Quid multis? In re tam incerta, quæ ſine temporis,loci, perſonarum, rerumque omnium explicata diſtributione liquido cognoſci non poteſt,ſatis ſit illud notaſſe, partim nullum omnino ex patribus conatum eſſe id ſtatuere per hæc verba, quod nunc Lutherani ſtatuunt, cum tamen varijs modis(quos iam attigi) ea interpreta eſſe repeꝛiam:partim multo for-

tius

tius ad catholicam fidem ſtabiliendam, quàm oppugnandam iſta omnia veriſsimè accommodari poſſe, ſi nobis liceret tam pertinaciter illa ad vnum quendam ſenſum catholicum aſtringere, quàm aduerſarijs libet iniuſtè eadem ad ſuam hæreſim ſtatuendam contorquere. Sed hoc illis facere neceſſe eſt quia perſpicuum locum, quo ſua tueantur, nullum habēt. Nos qui & ſacrarū literarum teſtimonijs abundamus, & certiſsimam doctrinæ Apoſtolicæ teſtem catholicam omnium ætatum traditionem cōſeruauimus, non periadè cogimur, vt vim vllam verbo dei ad noſtra defendēda vllo vnquam tempore afferamus. Ac propterea ſatis eſt nobis vt excludatur à domini verbis illa hæretica ſententia, quæ poſt conſecrationem calicis, vinum vult manere, quòd toto genere differat à Chriſti ſanguine, quem is & verum, & ſolum in ipſa benedictione verborum cœleſtium nominauit. Qua falſa opinione ſemel remota

qui-


quicunque ſenſus catholicus de hoc genimine vitis afferatur, eum cenſeó docti cuiuſque iudicio liberè eſſe permittendum.

DIXI.



VTRVM OFFICIA ECCLESIASTICA IN SACRA LINGUA, AN IN VULGARI, MELIUS PERSOLUERENTUR?

(.?.)



Ntequã declarem, quanto & melius, & vtilius officia ecclesiastica in sacra, quàm in vulgari lingua persoluantur, necesse habeo probare, nullam scripturæ diuinæ authoritatem impedire, quominus in publicis precibus vti liceat sacra lingua, etiamsi vulgus eam non intelligat. Omnes enim nostræ tempestatis hæretici, & schismatici cõtendũt, Latinæ aut Grecæ linguæ vsum in publicis precibus áb Apostolo condemnari apud eas gentes, vbi hæ linguæ in vsu vulgari non sunt:

(nul-

(nullibi autem nunc sunt in vsu vulgari) *Nam si orem, inquiunt, lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente. Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit. Nam tu quidem benè gratias agis, sed alter non ædificatur.* In quibus verbis si Apostolum de publicis precibus loqui concedimus (quod qua ratione faciat nihil adhuc definire volo) illud primum statui potest, publicas preces quamuis non tam vtiliter ad populi ædificationem, tamen absque omni peccato pontificum, & sacerdotum, in ignota lingua fieri posse. Nam *tu*, inquit, *benè gratias agis*. Quod autem benè fieri ab Apostolo dicitur, qua tandem temeritate ab istis neotericis tanquã ineptum aut inutile repræhenditur. Non enim si meliora præferuntur bonis, vt matrimonio virginitas, idcirco bona cõ-

1.Co.14.

1.Cor.7.

1.Cõ.14. tinuo euadunt mala, *Aemulamini* (ait Apostolus) *spiritualia, magis autem vt prophetetis. Maius & minus* (inquit Chryso-
in.1.Cor. 14.Hom. 35. stomus) *rerum est nõ contrariarũ, sed excellentium, ex quo liquet donum non reprehendi, sed illos ad excellentiora vocari.* Prophetare autem, est per linguam intellectam dei mysteria proponere. *Qui loquitur lingua, deo loquitur, spiritu loquitur mysteria, semetipsum ædificat.* Quæ omnia dei optimi maximi magna quædam dona existunt. Sed hoc illis deest, quòd alios non ædificant. Hoc igitur ædificationis donum ad alia apponi, ac non illud prius tolli D. Paulus optat. *Quoniam*, inquit,
1.Cor.14 *æmulatores estis spirituum, quærite vt abundetis.* Et nunc nostri isti in eo peccari existimant, si superiore gradu tantum omisso, in alio inferiore illo quidem, sed tamen qui bonus existat, substiterimus?
2. Nunc autem, ne id quidem verum est, ecclesiam in precibus ecclesiasticis vlla ex parte sanctum Apostoli consilium, aut supe-

ſuperiorem illum linguæ gradũ negle-
xiſſe: partim quia de alio genere precum
Apoſtolus in priore epiſtola ad Corin-
thios agit, quàm quod nunc in ſolemni
vſu eſt: partim etiam quia (tametſi de or-
dinarijs precibus agat) non eas vulgares
linguas in illis vbique præſcribit, quas ad-
uerſarij putant eum intellexiſſe. Ac pri- 3.
mum, erat in prima illa Chriſti eccleſia
donum vt curationum, & prophetiæ, ſic
etiam *precandi*, cuius apud D. Ioannem in 1. Cor.
Chryſoſtomum & Oecumenium fit Hom. 35.
mentio. Id autem non erat literis com-
prehenſum (vt nunc ſacra officia cõſcri-
bi ac de ſcripto legi ſolent) ſed poſtquàm
eccleſia in vnum conueniſſet, vnus ali-
quis à ſpiritu ſancto excitatus eſt; *qui* Chryſo-
quod communiter vniuerſitati eccleſiæ con- ſtom. ad Roma.
ducebat; id tum ipſe pro omnibus poſtulans Hom. 14.
ſtaret, tum autem alios edoceret. Ecce, du-
plex precantis officium, vt & ſubitò po-
ſtularet pro alijs, & alios poſtulata do-
ceret. Quatenus autem poſtulabat, non

erat neceſſe illum ab aſtantibus intelligi.
quin imo *gemitibus id* efficiebat & ſecre-
Rom.8. tis interdũ vocibus. At quatenus eundem
oportebat alios poſtulata docere, hîc aut
lingua precantis ipſi populo nota, aut
interpretis præſentia omnino deſydera-
batur. Quomodo alioqui doceret is quẽ
ſui auditores non intelligerẽt? Aut quo-
modo ſcirent quid per eum ſpiritus ſan-
ctus eccleſiæ reuelaſſet, qui deo tantum,
non etiam ipſis loqueretur? Cum verò
4. donum illud precandi iam diu ceſſarit,
omniaque iam ſint in precum certa ca-
pita, ſtataſque ceremonias redacta, non
omnino neceſſe eſt cum ipſo precatio-
nis miniſterio linguã vulgô notam ſem-
per coniungi, ſed vel per notiſsima ſigna
rituum ſacrorum, & concionatores in ſa-
cris eccleſijs, vel priuatim à viris doctis
vulgus de eo quod agitur, inſtrui poteſt.
Nam vt ad temporarium, & ſubitum ſpi-
ritus ſancti donum, notiſsimam inter-
pretationem ſtatim oportebat accedere,
ſic

ſic ordinaria & ſtata precatio contenta eſt ordinario interpretationis genere, quod etiamſi prætermittatur ad tempus, non idcirco in perpetuum omitti putandum eſt. Vbi autem interpretatio cũ lingua, ſecundum rei qualitatem opportunè coniungitur, D. Pauli conſilium perfectè impletur. Cum enim ait maiorem eſſe qui prophetat eo qui loquitur linguis, niſi interpretetur: quoties interpretatio adiungitur, parem cum prophetia linguam facit. Interpretatio autem adiuncta intelligitur, ſi hoc quod fit, populus pro re nata intelligit. Nam ſi etiam hodie noua quæpiam ratio interuenerit, ob quam deum publicè extra ordinem rogari expediat, ea res etiam extra ordinem pro concione populo exponi tum debet, tum ſolet in ea lingua, cuius nemo ſit ignarus, vt ſciat cui rei in precibus aſſenſum præbere debeat: Quibus modis fit, vt in vſu precum conſilio Apoſtoli abundè ſatisfiat quem de mirabili pre-

1.Cor.14

 candi

candi dono, quo ſpiritus ſanctus aliquẽ ex fidelibus afflabat, præcipuè locutum eſſe, multo mihi veriſimilius fit. Ad legitimas verò ſtataſque preces quod attinet (ſi de illis etiam Apoſtolum agere concedimus) animaduertere debemus, duplex fuiſſe atque etiam nunc eſſe linguarum genus: Vnum prorſus incognitum, ac peregrinum, quod tam olim, quâm nunc à precibus remouendum erat, quia non facilè reperitur interpres qui docere poſsit quid in ea lingua petatur. Aliud eſt linguarum genus vel omni populo domeſticum, vel à præfectis quibuſque eccleſiarum ex officij ratione cognitũ, & elaboratũ. Verbi gratia, Oriẽs penè totus præter linguas vulgares Græca in officijs diuinis vtitur: vnde etiã factũ eſt, vt eadẽ & Orientalis & Græca dicatur eccleſia. Occidẽs verò à Latinæ linguæ vſu in ijſdẽ precibus recepto, Latinæ eccleſiæ nomen accepit, Cui adeò frequẽter operã ab ipſis Apo-

ſtolorum

ſtolorũ temporibus dedit, vt & publica multarũ ciuitatum iura, & omnia canonum decreta, & in maximis Academijs doctiſsimæ prælectiones Latinè fieri cũ ſumma omniũ vtilitate conſueuerint. Cuius autem populi Chriſtiani publicæ preces, & ius eccleſiaſticũ in lingua Latina extat, illa non poteſt ab eo populo peregrina, aut prorſus aliena iudicari. Quod cum ita ſit, duas aut etiam plures vnius gentis linguas eſſe poſſe, manifeſtè apparet. Adeò vt D. Hieronimus dicat *Galatas excepto ſermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem penè habere quam Treuiros*, ſignificanter dixit *propriam linguam*. Etenim Græca non erat propria, ſed communis. Porrò eadem eſt lingua propria, & lingua vulgaris. Quod enim cuiuſque populi vulgo ſeu infimæ plebi in vſu eſt, hoc eius populi proprium dicitur. Atque inde plebeij & ignari homines Græcis dicuntur *idiotæ*, tan-

in Propo. c.3. ad Gala.

Idiotæ.

tanquàm ſi nouo Latinis vocabulo proprietarij, ſeu propria tantum lingua vtentes dicerentur. Idioma enim proprietas linguæ eſt. Ab idiomate autem idiotæ cognominati ſunt. Quo nomine illi ciues deſignantur, qui linguæ communis (quæcunque illa ſit) ignari, materna tantum & propria ſuæ gentis dialecto loquuntur. Nam qui præter vulgarem linguam, ex doctioribus aliquam didicit, is iam deſijt eſſe idiota, atque inter doctos numerari debet. Quorſum hæc omnia? Vt intelligamus Apoſtolum etiamſi agat de ijs precibus quæ legitimæ atque ordinariæ ſunt, nihil aliud optaſſe, quàm vt lingua prorſus peregrina in eccleſiaſticis officijs non vteremur. Qua ſemel abdicata, iam deinceps ita liberum eſſe vult, aut vulgarem certè cuiuſpiam gentis, aut communem eius eccleſiæ in qua degimus, ad res diuinas accõmodare, vt longè malit conciones ad populum in vulgari, preces autem publicas in communi

Sedulius in.1.Cor. 14.

lingua

lingua fieri. Adeste igitur animis, dum quod in causa præcipuum est, breuius quàm res tanta deberet, explicatur. *Dico* sermonem ab Apostolo institutum præcipuè fuisse de concionibus ad populum habendis, ac tantum per occasionem ad benedictiones publicas ventum esse. Egit enim primum vt non tam linguis, quàm prophetiæ Corinthij operam darent, propterea quòd prophetia vtilior populo futura esset quàm linguarum donum. *Qui enim loquitur lingua non hominibus loquitur sed deo, qui autem prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem*. Quis autē dubitat quin exhortari, & consolari ad homilias & conciones pertineant? In concionibus verò ecclesiam, hoc est populum qui audiendi causa conuenit, ædificari oportet. Quem qui non ædificat, nihil ei per modū homiliæ prodest. Aedificare autem populum in concione is non potest, qui non intelligitur: nec in- Argumētū. 14. ca. prioris ad Corinth.

 telligi

telligi poteſt, qui lingua populo nota, hoc eſt vulgari, non vtitur. Hic igitur cum ſit Apoſtoli ſcopus, vt ad plebem verba facientes lingua maximè familiari vtamur, hanc rem exemplis compluribus declarat.
1. Primum. Tibia vel cythara niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur?
2. Secundò. Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?
3. Tertiò. Si occurrat mihi vir cuius linguã ignoro, & ego illi, & ille mihi barbarus erit.
4. Quartò. Si quis priuatim recitet preces non intellectas, ſpiritus quidem, hoc eſt, voluntas, & affectus ſeu donum precandi orat, ſed mens & intellectus fructu vacat.
5. Quintò. Si quis publicè in Eccleſijs benedicat in lingua prorſus peregrina, cuius ne ſonum quidem, & conſuetum orationis finem agnoſcat is qui ſupplet locũ idiotæ, quãuis ſacerdos benè oret, tamen is qui aſtat nõ ædificatur, neq; nouit quando ſit dicendum, Amen. Quid

Quid autem ex his omnibus conſequitur? Sine controuerſia id quod Apoſtolus ab initio propoſuit, lingua vulgari plebem in Homilijs erudiendam eſſe. Vt enim omnia ſigna ijs cognita debent eſſe quos docebunt, ſic linguam oportet eſſe familiarem & notam in qua populus docebitur. Ob quam cauſam his omnibus exemplis recitatis, D. Paulus ait, *in Eccleſia,* hoc eſt in concione ſeu in conuentu populi (ita enim & alibi eam vocem D. Lucas accepit) *volo quinque verba,* Actor. 19 *hoc eſt, pauca loqui ſenſu meo, vt & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in lingua,* hoc eſt, in ſermone peregrino. Quòdque de concione populari loquatur, certiſsimò conſtat ex ijs quæ ibidem ſequuntur. *Si enim conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent quòd inſanitis?* Infideles ad conciones

Confuſa legitima, dimiſſa Eccleſia.

1. Cor. 14.

tantum

tantum ingrediebantur, ad ſacras verò benedictiones quæ in Chriſtianorum miſſa fiebant, non item. Non igitur diſputat Apoſtolus præcipuè, aut dedita opera de precibus publicis, ſed per occaſionem: vt exemplo precum adhibito, propoſitum ſuum de homilijs confirmaret. Nunc prudentiam veſtram requiro auditores. Contendo manifeſtè probari ex his quæ iam dicta ſunt, quòd Apoſtolus ſignificet in precibus publicis, linguam vt nullo modo peregrinam, ſic neque vulgarem, aut idiotarum propriam illa ætate Apoſtolorum adhiberi ſolitam eſſe. Id vnde cõſtabit? Quia tota hæc probatio fit per comparationem duorum inter ſe: quorũ vnum ſignificet aliquid, alterum verò intelligere debeat quod ſignificatur. Tybia canitur. At cui? Non alij prorſus quam ei qui diſtinctionem ſonitus capiat. Vocẽ dat tuba, ſed militi. Loquimur in publica via, ſed occurrenti. Oramus aut pſallimus, ſed quatenus verba

[Margin: 1.Cor. 5. Nõne de js qui intus ſunt vos iudicatis?]

[Margin: Quæ qui bus in cõparatione Apoſtoli-æ reſpondeant.]

ba psalmi signa sunt, intellectui psallentis loquuntur. Eodem modo benedicit aut gratias agit sacerdos in officijs diuinis, sed cui tandem? Vtrum primò ac antè omnia idiotæ? Nequaquam. Illi quidem præcipuè fit concio, illi fit exhortatio, & consolatio, ille instruitur per prædicationem, ædificatur per catechistam. Sed non est idiota qui necessariò per suam intelligentiam ædificandus est, cum sacras benedictiones recitamus. Quisnam igitur illo tempore primò omnium ædificandus est. *Supplens locum idiotæ.* Idiota est is qui prorsus indoctus & ignarus literarum est, quique nihil aliud præter linguam priuatam nouit, quod Sedulius ait *proprium esse auditoribus*, cuiusmodi solent 1.Co.14.
esse rustici & opifices. *Supplens locum idiotæ is est*, qui linguam communem nouit, cuius cognitione fit vt suppleatur id quod idiotæ deest. Quemadmodum igitur se habet communis linguæ peritus qui est supplẽs locum idiotæ, ad benedi-

cen-

centem:ſic ſe habet idiota ad concionãtem. Vtq; concionem faciens non debet lingua idiotæ ignota in Homilijs vti,ſic neq; benedicens debet vti lingua incognita ei qui ſupplet aut implet idiotæ locum. *Idiotam ſeu indoctum* (ait Chryſoſtomus) *promiſcuã plebem vocat.* Optimè.Qui ergo tenet locum idiotæ, cum ab ipſo idiota differat, non erit is idiota,nec plebeius,ſed egregius quiſpiam & doctus. *At non leue incommodum eſt* (inquit Chryſoſtomus) *ſi Amen plebeius dicere non poſsit*. Ex quibus verbis colligi dices ipſum plebeium debuiſſe preces intelligere. Equidem puto tunc demum idiotam aut plebeium nõ poſſe reſpondere Amen, cum in lingua neque vulgari, neq; communi preces fiunt. Nam quemadmodum ſi fiant in vulgari, plebeius ipſe per ſe nouit dicere Amen: ſic in communi lingua ſi fiant,ſaltem admonitus per eum qui ſupplet locum ipſius,nouit ſubijcere Amẽ.

In.1.Cor. Ho.35

Sin

Sin illa ſit lingua prorſus peregrina in qua benedicitur (vtpotè Perſarum , aut Indorum apud Græcos) neque per ſeipſum, neque per alterius doctioris exemplum plebeius reſpondere poteſt Amen , cum (Primaſio authore) *qui pro idiota,id eſt,ignaro reſpondet Amen , quid dicas neſcit* . Attendite obſecro, non ſolum idiota neſcit , ſed etiam is qui pro idiota reſpondit. De hac quippe ignorantia nunc Apoſtolus agit . Vtroq; autem neſciente, omnino ſine fructu eſt Eccleſia.Nam ſi locum idiotæ ſupplens nouit reſpondere Amen , ad illius vocẽ velut ad ſignum ſublatum etiam plebeius nouit accinere Amen. Solet enim plebs Diaconi vocem geſtumq; obſeruare,atq; ad illius exemplum reſpondere benedicenti. *Cum autem in diuinis ſcripturis ne vnum quidem iota,aut vnum apicem ſine damno prætermitti poſſe Chryſoſtomus affirmet , propterea quòd à Spiritu ſancto omnia proueniũt,neq; in his quicquã ſit*

In.1.Cor 14.

Chryſoſto.in Ioan.Hom. 25.

ſit ſuperfluum: quomodo fieri poteſt vt hæc omnia verba, *qui ſupplet locum* ſuperuacanea ſint apud D. Paulum? Sin illa non ſunt otioſa, vtique alius eſt *idiota*, & alius *qui ſupplet locum idiotæ*. Et cum ſufficiat vt locum idiotæ ſupplens in precibus publicis nouerit reſpondere Amen, aperte ſignificatur in lingua docta preces publicas fieri ſolitas fuiſſe etiam ſub Apoſtolorum ætate. Porrò doctam idiotæ cum nunquàm intellexerint (hinc enim ne idiotæ quidem eſſent) vt publicas preces in lingua vulgo ignota factas eſſe Apoſtolica authoritate comprobatur, ita publicas conciones in lingua notiſsima fieri ſemper debuiſſe credẽdum eſt. Quo ſpectat illud Remenſis Concilij decretũ, vt *Epiſcopi ſermones & homilias ſanctorum patrum prout omnes intelligere poßint, ſecundum proprietatem linguæ prædicare ſtudeant*. Vt igitur apud Brabãtos ſi concio fiat, Teutonicè fieri debet, neq; ſolum Teutonicè

Can. 15.

nicè, verum etiam proprio Brabantorum idiomate, eodem pacto si missa legatur apud Brabantos, non Anglicè, aut Italicè, ac ne Græcè quidem, aut Hebraicè, verum Latinè legi debet, quæ communis est doctorum lingua apud Brabantos. Ita sciet tum idiota quid dicatur in concione, tum supplens locum idiotæ quid in missa recitetur. Ille vti abeat doctior, iste vt cum audierit per omnia sæcula sæculorum, & ipse respondere sciat, & alios subijcere admoneat *Amen*, & quæ sunt eiusdem generis. Hoc enim exemplo, & D. Chrysostomus, & Ambrosius ostendunt quid ad eum spectet qui sit idiota. Cuius etiã locus per doctiorem aut Diaconum, aut acoluthũ, aut etiam laicum suppletur. Quamobrem vt ex ijs quæ Apostolus affert de tuba, concludere non possumus sonum tubæ idiotis domi agentibus, ac militiæ ignaris necessariò cognoscendum, sic neq; inferri potest linguam eam in qua

In dictũ locum .1. Cor. 14

benedicitur, idiotis familiarem esse oportere: sed vt sufficit si miles tubam intelligat, sic omnino satisfactũ est Apostoli concilio si viri communis linguæ periti, siue illi clerici, seu laici sunt, benedictionem, aut sacra celebrantẽ intelligant. Quod autem latina lingua sit non solum Italiæ, Galliæ, atq; Hispaniæ (apud quas gentes vestigia ipsius in hodiernũ diem in vsu vulgari manent) sed etiã totius Occidẽtalis ecclesiæ cõmunis, & si res ipsa palã loquatur, tamẽ ex venerabili Beda perspicuè demonstrari potest. Qui Britãniæ insulæ sitũ describẽs: *Hæc, inquit, in præsenti quinq; gentiũ linguis vnã eandemque veritatis scientiam scrutatur, & confitetur. Anglorũ videlicet, Britonũ, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione scripturarum, omnibus est facta cõmunis.* Ecce cum sola quatuor essent linguæ vulgares in Britannia, tamen Beda & quinq; numerat, & quintam dicit factam esse communem

omni-

omnibus, idq; meditatione ſcripturarũ. Ac ſanè quin Apoſtoli tradiderint Eccleſiaſtica officia in his cõmunibus linguis peragẽda, nullo modo dubitari poteſt. Cũ enim Prophetarũ libri magna portio Eccleſiaſticorũ officiorũ ſemper eſſent, cumq; Prophetas Philo Iudæus, & Apoſtolorũ commentarios Iuſtinus martyr iã in prima Eccleſia legi ſolitos cõteſtetur, nõ eſt dubiũ quin apud gẽtiles ea in lingua legerentur prophetæ, in qua iam erãt à ſeptuaginta interpretibus trãſlati: in ea etiã Euãgelia & Epiſtolæ, in qua primũ cõſcripta erant. At linguã Atticã, aut communẽ, in qua fere omnes hi libri ſcripti ſunt, quotus idiotarum, præſertim Aſiaticorũ, intellexit vnquã? D. Paulus teſtatur ſe *ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuiſſe Euangeliũ Chriſti.* Quot in iſto circuitu linguas fuiſſe putamus, cum vnus Mithridates rex Ponti, & Aſiæ, viginti duas infra regni ſui ambitum habuerit?

De ſupp. pli. in Apo. lo. 2.

Rom. 15

Atq; etiam ipſe Paulus velut admiratus multitudinem linguarum, *tam multa,* inquit, *genera linguarum ſunt in hoc mundo, & nihil ſine voce eſt*. Nullum quippe genus eorum ſua propria dialecto & peculiari ſono caruit. Quid ergo? An veriſimile eſt his omnibus populis Apoſtolum ſcripturas ſacras, aliaq; officia Eccleſiaſtica cuiq; iuxta proprietatem linguæ ſuæ tradidiſſe? Hoc ſi verum extitiſſet, non modo hexapla, hoc eſt, ſex interpretationum ſacrarum varietates in vnum ab Origine cõgeſta fuiſſe oportuit, ſed amplius etiam quàm centupla. Quis autem neget præcipuam partem Eccleſiaſticorũ officiorũ ex verbo dei deſumptã ſemper fuiſſe? Inde ſunt pſalmodiæ, à quibus initiũ celebrandæ ſynaxeos ductũ eſſe Dionyſius Areopagita teſtatur. Indè ſunt lectiones Prophetarũ. Inde Euangeliorũ ſacra hiſtoria, & Apoſtolorũ epiſtolæ, quibus locum in Liturgijs dari ſolitum Iuſtinus martyr ſigni-

ſignificat.Imo Apoſtolus, cum,inquit, Coloſ. 4
lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, *facite vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur,& ea quæ Laodicenſium eſt, vt vobis legatur.* Iam quis ferat vt in Eccleſijs Prophetæ atq; Euangelia legantur,quorum certa, rata,& authentica interpretatio non extet? Quis teſtamenti veteris authenticã conuerſionem Apoſtolorum temporibus vllam aliam extare audiuit vnquã; præter illam quæ ad Ptolomei Philadelphi rogatum, à ſeptuaginta duobus interpretibus ædita recenſetur? De cuius tranſlationis authoritate D.Chryſoſtomus agens,*ad faciendam (inquit) veræ trãſlationis fidem,omnibus alijs iure ſeptuaginta interpretes ſunt digniores*. Illam verò tranſlationem vulgus hominum per totam Aſiam non intellexit. Qui enim potuit? cum plebs nihil ſciat præter linguæ ſuæ idioma, & proprietatem vernaculam. At conſtat ſeptuaginta interpretes docta Græcorum lingua fuiſſe

In Math. Hom. 5

vſos. Deindè cum vulgares linguæ mutentur indies, tum per ignorantiam ruſticorum & opificum, tum per immixtionem externarum dictionum quæ ab accolis & vicinis inferuntur: neceſſe eſt ſeptuaginta interpretes, qui ducentis propè annis ante promulgatum Euangelium ſcripſerunt, ab idiotis non fuiſſe intellectos, quando Paulus & alij Apoſtoli Eccleſias fundarunt. Accedit eodẽ *quòd Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæã, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphiliam,* habebant omnes partim linguas toto genere diuerſas, partim dialecto & proprietate quadam diſtinctas.
Actor. 2 De illis enim D. Lucas ait: *quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus?* Et iterum. *Audiuimus eos loquentes magnalia dei noſtris linguis.* Hoc quippè magnum illud miraculum extitit, quòd inter tot nationes vel prorſus diuerſa lingua, vel ſaltem differente
ſono

ſono vtentes, tamen vnuſquiſque audiuit non modo linguam ſuam, ſed eam in qua natus eſſet, hoc eſt patriam (vt Oecumenius refert) quam nunc dicimus maternam & vernaculam. In quem locum venerabilis Beda ſic ſcripſit. *Hæ quæ poſt Iudæam nominantur prouinciæ, verè omnes quidem Græcè loquuntur, ſed ſi nihil diuerſum patria conſuetudine ſonarent, nequaquàm tam ſubtili diſtinctione linguarum commemorarentur. Vndè mira in Apoſtolis ſpiritus gratia contuenda eſt, quæ non ſolum diuerſitatem omnium edocuit linguarum, verumetiam diſtantiam proprietatum in vnaquaque lingua iuxta numerum prouinciarum quæ hac vtebantur, in eorum fecit loquelis agnoſci.* Si ergo diuerſa proprietate vſi ſunt qui erant ex Cappadocia, Ponto, Aſia, Phrygia, & Pāphilia, ſitque certiſsimū vel ex quotidiano vſu & cōſuetudine, maximū in omni republica eſſe idiotarū numerū, nulluſque idiota

Ibidem.

In cap. 2 Actor.

quicquâm intelligere poſsit,quod à ſuæ linguæ proprietate diſtinguatur (cum neq; Anglus inferioris Germaniæ ciuē, neq; is Saxonem intelligat:) ignari ſint rerum neceſſe eſt , qui aut ſine pſalmodia & lectionibus prophetarum, officia Eccleſiaſtica , maximèq; illa ordinaria, & legitima,olim celebrata,aut aliā tranſlationem Græcam Apoſtolorum ætate fuiſſe præter vnicam illā ſeptuaginta interpretum , aut eam ex æquo & Phenici,& Syro, & Galatæ,& Cappadoci, & Phrygi , & cuilibet plebi Aſiaticæ cognitam fuiſſe , arbitrentur . Nam tametſi ſex aliæ tranſlationes in Græcā linguam de Hebræa fierent,tamē earum prima *Adriano demum imperante facta eſt ab Aquila Pontico* . Nos autem agimus adhuc de Apoſtolorum temporibus , in quibus dico, *Amen,* ad omne genus benedictionum publicarum nō potuiſſe ab ipſo idiota & plebeio dici,niſi cum is à ſupplente locum ſuum doctiore ali-

quo admoneretur, quia illam ſeptuaginta interpretum conuerſionem intelligere non poſſet. Porrò demus & Aquilæ proſeliti, & Simmachi Iudaizantis, & Theodotionis Ebionitæ tranſlationes probatas aliquibus tandem fuiſſe: addamus, & quintam in Hierico, & ſextam Nicopoli repertam alicubi publicè lectas. Certè quidem iſtæ interpretationes pluſquàm ſeptem non ſunt, omnesque illæ communi Græcorum lingua, & maxima ex parte Attico idiomate, conſcribuntur. Quid hoc ad idiotam Ionicũ, Oeolicum, Doricũ? Quid ad Licaonicum, cuius alia quædam, ſi non lingua, certè dialectus in Actis Apoſtolorum recenſetur? Quid iſtæ ſeptem interpretationes indoctum Galatam, quid plebeium Phænicem, quid Iudæum aliquem de vulgo ad Chriſti legem conuerſum, quid Thracẽ, aut Dalmatam, quid viginti duos populos iuuant qui ſub Mithridatis imperio to-

tidem diuersis linguis commemorantur fuisse? De his verò septem translationibus Bibliorum in Græcam linguam fa-
In Catal. Ecclesi. script. ctis, vt & alij plures, & D. Hieronimus mentionem faciunt, ita Euthimius qui
In præfat. Psal. post Hieronimum sexcentis annis amplius vixit, eas tantum septem translationes veteris testamenti commemorat, de quibus antea dicebam. Hieronimus autem quanquàm ab alijs quoque authoribus illam septuaginta interpretum editionem veteri integritati restitutam fatetur, tamen à doctis id in lingua docta factum esse nemo sapiens dubitat.
In Prolo. 1. Paralip. *Pro varietate, inquit, regionum diuersa feruntur exemplaria. Alexandria & Aegyptus in septuaginta suis, Hesychium laudat authorem. Constantinopolis vsque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has prouinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origine elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgauerunt: totusque orbis hac inter se trifa-*

trifaria varietate compugnat. Hec ille. At quis vel mediocri præditus ingenio neget D. Hieronimum quando ait *legi Palæstinos codices*, de illis agere lectionibus, quæ in Christianorum ecclesijs, & sacris conuentibus fiunt? De quali etiam lectione & Iustinus martyr in Apologia, & D. Augustinus loquebatur, cum ad Hieronimum scribebat, *factum esse tumultum in plebe, quando Episcopus lectitare instituisset in ecclesia cui præerat, Ionam prophetam secundum diui Hieronimi interpretationem*. Cum igitur in toto Oriente doctæ istæ interpretationes legerentur publicè, nec eas indocti & idiotæ etiam Græci, ac multo minus Barbari (quorum longè maximus est numerus) intellexerint, necesse est in ipso ecclesiæ nascentis exordio, ecclesiastica officia in ijs linguis ædita fateri, quas vulgus hominum ignorabat, nisi quòd eorum partem aliquam August. in to. 2. Epist. 11.

is

is qui præerat,ſiue epiſcopus, ſeu preſbyter interpretari ſolebat in lingua propria & vulgari. Si enim rebus ipſis edocemur vnam aut alteram communem linguam in officijs eccleſiaſticis ſatisfeciſſe omnibus ferè nationibus, idiotas conſtat non ipſarum lectionum, aut pſalmorum intelligentia dum canerentur, ſed partim paucis quibuſdam vocibus in officijs vti didiciſſe, partim interpretatione ſacerdotum ſuorum per conciones plenius in fide inſtructos fuiſſe. Quo turpius ab his erratur, qui verba Apoſtoli vrgent, tanquã ipſe idiota benedictiones inter myſteria celebranda recitatas intellexiſſet. Iam ſi neceſsitas linguæ vulgaris in publicis precibus nulla demonſtrari poteſt, certè multo minus vtile hoc cuiquam, aut opportunum videri debet. Cum enim *honos alat artes*, nec ferè alteri generi ſtudiorum ſe homines dedant, quàm ex quo victũ ſaltem honeſtè ſuppeditandum ſibi ſperent,

rent, ſi officia eccleſiaſtica in vulgaribus linguis perſoluerentur, ob eamque cauſam, ij etiam qui doctiores linguas non attigiſſent, ad beneficia, præbendas, archipreſbyteratum, ac poſtremò ad epiſcopalis officij dignitatem promoueri poſſent, prorſus aut nemo, aut longè paucißimi Latinæ linguæ operam darent. Quod enim vidimus maiorum noſtrorum ætate in Græca lingua contigiſſe, vt quanquàm & elegans, & vtilis exiſteret, nullus tamen propè in tota Occidētali eccleſia illam ſcire elaborauerit, hoc idē in Latina eueniret, ſi ſpes honoris, & dignitatis multos ad illius cognitionem non alliceret. Tolle autem linguæ Latinæ ſcientiam, & cum nihil habeat paſtor quod ex diuo Auguſtino, Hieronimo, Ambroſio dicat, neceſſe eſt aut nihil omnino dicat, aut quod ipſe excogitauit, id magno cum ſuo & vulgi periculo doceat. Ita dum prurientibus nonnullorum auribus in pſalmo-

psalmorum decantatione consulitur, futurum est vt animabus omniun pessimè consulatur. *Omnium enim malorum & mater, & altrix est ignorantia sacerdotum.* Quapropter si nulla sit vtilitas quæ ad studium cõmunis linguæ homines inuitet, nulla erit omnino communis lingua. Quod si nõ erit communis lingua, certè nec in tota fidelium ecclesia exterior communio vlla erit: nõ scient Angli quid credant Galli, non Itali, quid Hispani teneant: & vel nulla erunt summi pontificis decreta, vel non intelligẽtur ab his, quorum erat illa & obseruare, & populo obseruãda proponere. Quod que malorum omnium caput est, *generalia concilia sperari nunquam possunt.* Quid enim facient collecti in vnum episcopi & sacerdotes, si vt olim apud
Gen. 11. turrim Babel, tot penè erũt linguæ, quot homines? In hæc tot malà nos præcipitant hæretici, dum à Latina lingua, quæ potissimũ propter sacras preces & scripturas

pturas


pturas addiſcitur, per eaſdem preces & ſcripturas in vulgaribus linguis propoſitas, nos retrahunt, ac penitus barbaros in ea re & fieri, & dici volunt. Prorſus enim barbarus eſt qui à linguæ communis conſortio excluſus, in ſola vulgari dialecto conquieſcit. Communis verò lingua in Occidētali eccleſia non alia eſt præter latinam, quæ nobis à maioribus noſtris in iure tam ciuili, quàm canonico, in omnium artium ſtudijs, in ſacris literis, & precibus tradita, ad ſummam totius reipublicæ & vtilitatem, & honorem omnino retinenda eſt, & conſeruanda.

(.?.)

DIXI.

VTRVM PLVRES MISSAS QVOLIBET DIE IN VNA ecclesia fieri aut liceat, aut expediat?

(.?.)



VNT hæc tempora valdè periculoſa (auditores optimi) in quibus tantũ ſibi homines etiam priuati ſumunt, atque arrogant, vt putẽt licere ſibi in totam Chriſti eccleſiam iudicium exercere, aut potius indicta cauſa orbem Chriſtianum intra domeſticos parietes condemnare. Alius miſſam omnino damnat, alius laudat ſolemnem, ſed illam quæ ſine ceremonijs publicis fit, pro illegitima habet. Non nemo vtramque ſatis approbans, tamen vnam ſolam in vna eccleſia quolibet die perſolui debere contendit.

Quarto

Quarto demum loco repertus eſt qui poſſe quidem & plures miſſas in eadem eccleſia fieri non negat, magis autem expedire putat, vt fiant pauciores: Idque vt putet, exemplo (vt ait) antiquitatis permotus eſt. Fuiſſe enim olim receptum, vt vna tantum miſſa fieret, in qua tam reliqui ſacerdotes & clerici, quàm etiam laici cum pontifice, aut preſbytero celebrante, communicarent. Quem morem videri ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, atque eam ob cauſam nunc etiam renouari debere. Equidem, quòd antiquitatis memoriam, quòdque Apoſtolorum exempla proponat, vehementer laudo. Quòd autem à recepta eius eccleſiæ, quæ nunc eſt, conſuetudine, ad antiquiorem prouocet; tanquàm hæ duæ conſuetudines conſiſtere ſimul non poſsint, in hoc mihi errare videtur & falli. Mutatis enim tẽporibus & cauſis, etiã res eiuſmodi quæ ab immutabili cõſilio dei non pendent, mutatæ cen-

ſentur. Vtrum enim, quia ſub ætate Apoſtolorum vix in qualibet ciuitate vna domus diuinis officijs dedicata eſt, propterea nunc etiam poſtulabit opinator iſte, vt egregia hæc templa, vt tot baſilicæ, vt tanta monaſteria deſtruantur, ne temporibus Apoſtolorum diſsimilia hæc noſtra tempora appareant? Licebit ſanè iſta ratione, vt in qualibet gente paucos optet reperiri Chriſtianos, quia conſtat ſub Apoſtolis totas regiones nondum fuiſſe ad fidem Chriſti conuerſas. Quòd ſi non omnia quæ à priſco ſeculo geſta ſunt, huic ætati noſtræ conueniunt, putandum eſt eundem Chriſti ſpiritum qui ritus ſacros & ad ineuntis eccleſiæ infantiam, & ad virilis ætatis robur ſuauiſsimè accommodauit, nunc etiam agere nobiſcum, aut quaſi cum ſenibus, aut (quod magis puto) velut cum decrepita ætate confectis. Quanquàm ne id quidem verum eſt, non niſi vnam Miſſam in qualibet

ecclesia olim esse factam. Nam vt de Toletano Concilio nihil dicá, vbi plura sacrificia in vno die, etiam ab eodem sacerdote, rectè oblata recensentur, si *quoties immolant toties corpus & sanguinem Christi participent*: vt Antisiodorẽse Cõcilium omittam, quod cum *plures missas in vno altario fieri* vna die prohibeat, vtiq; in pluribus altaribus fieri permittit: vt hæc inquam pluribus hoc tempore non persequar, magnus Leo Episcopus Romanus ad Dioscorum Alexandriæ Episcopum sic ferè scripsit hac de re. *Vt autem in omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, vt quum solemnior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere basilica simul vna non possit, sacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc deuotionem qui primi aduenerint, videantur hij qui postmodum confluxerint non*

Cõ Tol. 12. Cã. 5.

Can. 10.

Leo. ep. 74.

non recepti, quum plenum pietatis atque rationis sit, vt quoties basilicam, in qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantum missæ more seruato, sacrificium offerre nõ possint, nisi qui prima diei parte confluxerint. Studiosè ergo, dilectionem tuam & familiariter admonemus, vt quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis & fide, & actibus congruamus. Ex hac Leonis epistola duas primæ ecclesiæ consuetudines animaduertere licet. Vnam Orientalis ecclesiæ propriam, in qua mos erat vnam tantum missam in diebus festiuis celebrari, quem morem D. Leo in solemnioribus festis ne in Græcorum quidem ecclesijs postea obseruari voluit: Idque ne aliqua pars popopuli sua deuotione priuaretur. Altera fuit Occidẽtalis ecclesiæ cõsuetudo etiam

tiam Leonis ætate multo antiquior, vt quoties basilicam præsentia nouæ plebis impleuisset, toties sacrificij oblatio indubitanter iteraretur. Atque hūc morem D. Leo se à maioribus accepisse affirmat, cum ait. *Hoc nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit*. Ecce & traditio est, & cōsuetudo. Ergo Antiquarij isti ad vnam Missam nos reuocantes, ab antiquitatis traditione ipsi aberrant. Fatendum quidem est ingenuè non tam frequentes fuisse olim missas ac nunc sunt, vel quòd minor esset sacerdotum numerus, vel quòd Christiani pauciores, vel quòd in metu persecutionis altaria tam securè ædificari non poterant. At Gregorium Magnum traditur, cum paternam domum in cliuo Scauri positam in monasterium redegisset, in illius monasterij ecclesia quatuor altaria quæ in hodiernum diem monstrari solent, erexisse. Quod vt primus fecisse putari non debet, sic fru-

ſtra factum eſſet, ſi vnica tantum miſſa quolibet die celebrari debuiſſet. Diuus Proſper teſtatur (Carthagini cum eſſet) *aſcendiſſe vna cum ipſo ſacerdotem in monaſterium puellarum, idque dominico die illuceſcente, vt matutinum illic ſacrificium ſolitò offerretur*. quo in ſacrificio pars diuini corporis puellæ cuidam porrecta eſt. Ecce offerebatur ſacrificium matutinum, idque non tantum profeſto, ſed etiam dominico die: nec ſolum hora tertia (ſicuti moris erat in maximis quibuſque eccleſijs) ſed illuceſcente iam die: nec caſu aliquo, ſed ſolitò, ex more videlicet illius eccleſiæ. Quis autem dubitare poteſt quin eodem in monaſterio ſacrificium etiam poſt horam tertiam ante meridiem ſubſecutum ſit, in dominico præſertim die? Quanquam coniectura opus non eſt cum eodem in loco Proſper dicat, peracto iam priore ſacrificio, ac porrecta communione, etiam ſemi-

In li. Dimid. temporis. c. 6

Damaſus in vita Teleſphori.

ſemihora interpoſita, *oblationem gratiarum actionis rurſum factam eſſe, in qua puella quædam Araba nuper à maligno ſpiritu liberata, ſacrificij percipiens certam partem, priſco eſt reddita vſui.* Cum ſæpius igitur in eadem eccleſia ſacrificatum eſſe veteres etiam authores prodiderint, cur hoc noſtra ætate fieri non expediat, quod ante annos plus mille vtiliſsimum ſemper habitum fuit? Ac nimirum ſi panem quotidianum aut ſæpius petere, aut ſæpius ſumere eodem die, atque etiam eadem in menſa fas eſt, nec ea res offendit aut Lutheranorum, aut Zuinglianorum animos, cur multò magis iterari ſacrificium quotidianum non poteſt in eodem & tempore, & loco? Niſi fortè hoc iſti neoterici diuino cultui negabunt, quod ventri ſuo concedunt. Moyſes ædificato altari *miſit iuuenes de filijs Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas* Exod. 24

pacificas domino vitulos duodecim. Hos autem iuuenes (nondum consecrato Aaron & filijs eius) primogenitos duodecim principium Israel extitisse verisimillimum est. Nam ex Hebræis, vt D. Hieronimus refert, omnes primogeniti Noë, donec sacerdotio fungeretur Aaron, fuerunt pontifices. Cum igitur vnum fuerit altare in quo duodecim Iuuenes, duodecim vitulos immolauerunt eodem die, idque in ipsa veteris testamenti ac fœderis percussione acciderit, quis non videt ea in re figuratum fuisse noui testamenti tempus in quo plures etiam sacerdotes in eodem altari possent victimas domino immolare? Idque eo certius constituitur quòd septuaginta interpretes victimas illas appellant θυσίαν σωτηρίου *hostiam salutaris.* Vbi videndum est (inquit Augustinus) ne fortè ille significetur; de quo dixit Simeon, *quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. Procopius etiam Gazeus

In quæst. in gene.

Quæst. super Exod. 99

Lucæ. 2.

aram

aram hanc interpretatur in qua peragitur Christi mysterium. Proponamus iam ob oculos nostros Christum in noui testamenti inchoatione dicentem duodecim Apostolis: *hoc facite in meam commemorationem:* quibus verbis potestas data est non vniuersis modo in vnum collectis, verum etiam singulis, vt faciant corpus domini verissimam salutaris nostri victimam. Si ergo duodecim illi dum adhuc Hierosolimis manebant in eodem altari quotidie sacrificare voluissent, quis hoc in eis posset reprehendere, cum concessa sibi protestate vti nemo prohibeatur? Quod certe eô æquius est nobis concedi, quos ecclesiæ pax & antiquissima consuetudo securiores multò hac in causa reddidit. Nam si quotidie agnum & mane, & vespere, in templo Salomonis immolatum constat, quæ superstitio est nos deteriore loco velle constituere, vt semel tantum quolibet die in eodem templo offerre

Procop. in hunc locum.

Luc. 22.

Exod. 29

In ep.118 liceat? Beatus Auguſtinus interrogatus an per quintam feriam vltimæ hebdomadis Paſchæ, offerendum ſit manè, & rurſus poſt cœnam, reſpondit, hoc indifferenter habendum eſſe ſiue manè tantum, ſiue tantum veſperè, ſiue tam manè quàm veſperè illo die offeratur, cum nec authoritas diuinæ ſcripturæ, nec tota per orbem Eccleſia aut hoc præceperit, aut illud prohibuerit, ſed de illo genere ſit, quod per loca regioneſque variatur. Illud autem non obſcurè ſignificat, vbi maior & frequentior erat populus Dei, bis oblatum fuiſſe, & manè propter illos qui lauabant, & prandebant: & ad veſperam propter illos qui ieiunabant. Quod cum ita ſit, cur eadem, aut potius maior ratio non efficiat vt cum populus Dei multo frequentiſsimus nunc exiſtat, cum nulli infideles intermixti, nulli amplius cathecumeni ſuperſint, & bis & ſæpius in qualibet eccleſia quolibet die

manè

manè offerri queat? Etenim cum ratio celebrãdæ missæ illa potsimũ sit, vt mors domini per corporis quod mortuum est consecrationẽ, participationéq; annuncietur, si nullũ crimẽ, crimẽ? imo si magnũ meritũ est pluries in vno die atq; etiam in vna & Ecclesia, & altari mortẽ domini cõmemorari, nihil video cur numerus missarũ displicere illi debeat, cui passionis dominicæ memoria placet. Nã quid est aliud Missa quã totius vitæ Christi omniũq; illius actionũ sacra quædã historia & viua descriptio? Quis enim natiuitatẽ eius quotidiè proposit ã nõ videt, cum decãtari audit *gloria in excelsis deo*, & in terra pax: quis *in epistola*, Iohãnis baptistæ præcurrẽtis vocem, *in Euãgelio* ipsius verbi prædicationẽ, *in symbolo*, populorũ fidẽ, prædicationis dominicæ fructum, nõ inteligit? Porrò quæ sequuntur longè secretiora sunt. Vt verbũ caro ad ministeriũ angeli factum est in vtero virginis, ita panis com-

Missa.

Lucæ. 2.

communis efficitur caro dei ad miniſterium ſacerdotis. Vt in morte Chriſti anima ſeparata eſt à corpore, ſanguis à carne, ſic in vtriuſque ſpeciei conſecratione ſeorſum corpus & caro, ſeorſum ſanguis & anima repræſentãtur. Vt poſt mortem Chriſtus reſurrexit integer, neque amplius moritur, ſic ſub vtrauis ſpecie totus Chriſtus integer & viuus continetur. Vt propter nos mortuus, propter nos reſurgens ex mortuis, in dextera dei ſedet, ſic propter nos miniſter
Heb. 8 ſanctorum vſq; in hodiernũ diem manens, ſeipſum à fidelibus manducandũ præbet vſq; ad participationem ſpiritus. Vt Chriſtus in cruce pẽdens orauit pro ijs qui neſcirent quid facerent, ſic ſacerdos pro tota Eccleſia, pro pontifice, pro regibus, pro viuis ac defunctis deprecatur, vt à peccatis expientur. Hæc tanta myſteria, ſi non & tota mente repeti, & exterius celebrari expediat, equidem neſcire me fateor quid poſsit vnquàm

expe-

expedire. Obſecrat hortaturq; Apoſtolus ante omnia *vt fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Hoc *enim bonum eſt, & acceptũ coram ſaluatore noſtro deo.* Cum autem de ipſo miſſæ officio in illis verbis Apoſtolum locutum eſſe, & cæteri patres, & D. Auguſtinus multis verbis ad Paulinum declaret, nulla iam cauſa relinquitur, quo minus plures miſſæ (modò religioſè fiant) quotidiè in vno templo atque altari & poſsint vbiq; legitimè fieri, & apud bonos viros cum maxima totius eccleſiæ vtilitate celebrari audiriq; debeant. Habetis, chariſsimi auditores, has qualeſcunque reſponſiones meas ad ea quæ proponebantur accommodatas, non ea copia vel rerum, vel verborum, quæ huic doctiſsimorum hominum coronæ ſatisfacere debeat, ſed

1. Tim. 2

In Epi. 59.

ea

ea tamen alacritate animi in medium allatas, quæ & officium meum erga celeberrimum huius facultatis Collegium, & totius gentis nostræ amorem & studium in hanc florentissimam Academiam, contestetur.

DIXI.

Prædictæ tres Orationes magno lectorum fructu typis excusæ legentur, nec quicquam habet quod ab illo remorari aut auocare debeat.

Frater Ioannes Hentenius sacræ Theologiæ Louanij professor.

